This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


2

D 73g

CHYMISTICVM ARTIFICIVM NA-turæ, *Theoricum & Practicum: cuius Summarium Verſa pagella clarius indicabit:*

LIBER PLANE PHILOSOPHIcus, in gratiam omnium veræ Philoſophiæ naturalis ſtudioſorum æditus

Per Gerardum Dorn.



M. D. L X V I I I.

Francofurti apud Andr. Wechelum.

TOTIVS OPVSCVLI Summarium.

Eius Theorica tres tractatulos continet, quorum

Primus de vita rerum naturalium & interitu, per aſcenſum & deſcenſum diſſerit.

Secundus de Corruptione, & Generatione, tam naturalibus, quàm artificialibus.

Tertius de duabus arboribus: Vna Sanitatis, & Infirmitatis altera.

Practica tribus etiam tractatulis abſoluitur: quorum

Primo naturam imitantis artificij depinguntur, ac ad vſum deducuntur organa.

Secundo Fornaces ad artem hanc neceſſariæ proportionatè delineantur.

Tertio docetur, quinam artifex manus in paſtam (vt ita loquar) ponere debeat.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI FRIDERICO, ſuperioris & inferioris Bauariȩ Duci, Rheniq́; Palatino Comiti, Salus.

CVM poſtremum huic opuſculo punctum inſcriberem, Princeps Illuſtriſsime, palliatorum maxima caterua minitantium eminùs apparuit. Ego mox, nunquid oriente Sole nocturnæ diſparēt laruæ? Laceratis & ſeminuda veſtibus ſtatim aſtitit veritas, occurenti mihi, quid hæſitas, inquit? At ego, hanc implumē auiculam nido ſuo dimittere. Quæ, Modò habeat alas, non eſt, quod cures etſi reliquum corporis nudum foret. Vbi ſunt, quos antea minas tibi videras inferentes? Euanuerunt, inquam. Non aliàs (ait) e-

ueniet, ſi modò feceris, quod iniunxerõ. Plurimi ſunt in Germania mihi Principes, qui laceras veſtes non dedignati meas, ornatũ vilibus hac tempeſtate rebus adÿci conſuetum, non aſpiciunt: quos inter ille Palatinus Fridericus omni ſcientiarum genere peritiſsimus exiſtit. Ad hũc auiculæ tuæ volatum dirigas: non eÿciet foras: imo fouebit potius, atq; defendet. Interim aui plumæ ſupercreuerint, vt alias inter comparere non erubeſcat. Animum dedit hæc, Princeps excellẽtiſsime, quò qualecumq; ſit opuſculum hoc, Celſitudini tuæ dedicare fuerim auſus: ſiue bene, ſiue malè, huius conſilio factũ eſſe iudicet. Stylum ſi reſpicere licet, indignum eſt opus, vt ad tantas manus veniat: ſed ob materiæ, quam cõtinet, excellentiam, ac veritatis tractationem, certò ſcio T. C. illud non reiecturam. Talia ſunt enim,

quæ

quæ ſub eius nomine data ſunt in lucem, vt quoties cupierit, ad oculum demonſtrare paratus ſim. Naturæ limites non tranſgrediuntur: vt illa, quæ de metallorũ vulgarium tranſmutatione diſſerunt. Metalli compoſitionem natura nũquam exceſsit. Verùm introducta forma rebus ab ipſa cõpoſitis, ceſſat eius in illis generationis motus. Quapropter Elixirum artifices naturàm in hoc magiſterio non imitari, ſed potiùs excellere conãtur. Sat mihi fuerit, ſi quo modo poſsim in his, quæ medicam artem concernunt, eius veſtigia ſequi, non præterire. Apud Aegyptios antiquiſsimi Philoſophi Medici naturalium operationum diligentiſsimi fuerunt obſeruatores: at recentes naturam contemnunt, vt hominum pertinaciſsimè ſectentur ſomnia. Quo fit, vt iſti, quod laude dignum ſit, parum, aut nihil efficiant:

illi verò, quæ miraculum æquarēt, indies nædebant. Hinc à me factum eſt, quod naturam temerë ſatis nudauerim, ſaltem vt è millibus vnum ad eam imitandam exhorter. Eius interim, & opuſculi noſtri tutelam ſuſcipere digneris, fælicisſime Princeps: terq́ quaterq́ beatus viue Neſtoris annos, & vale.

Illuſtriſs. C. T.

Seruulus,

Gerardus Dorn.

PRAEFATIO.

QVòd videam nonnullos in Philoſophia naturali, quæ nūc ab innumeris annis tractari cōſueuit, peritiſsimos, ex laborioſiſsimo ſuo ſtudio nihil aliud reportaſſe, quàm de rebus naturalibus ingentē diſſerendi copiam: eôſq; vel minimum opus, quod iotam vix referat, oculariter demonſtrare poſſe, me ſummopere mouit, quandam vtiliorem & reipublicæ magis neceſſariam, ab antiquiſsimis olim traditam philoſophis, at propter aliquorum inuidiam & ambitionem oppreſſam, recenſere. Id ipſum & alij multi facere conati ſunt ante me: verùm quia fortaſſis obſcuriùs artem hanc tractarunt, quàm ferrent ſtudioſorum his non aſſuetorum ingenia, parum apud pauciſſimos nihilq; penitus in reliquis profuit eorum labor: qui tamen exactiſſimus fuit, ſummæq; perfectionis. Hinc fit, vt ego rem ipſam, in qua virorum

artem huiuſmodi contemnẽtium pertinacia radicem fixit conſiderans eorũ qui ſacra myſteria clarioribus verbis propalare vetant, minas minimè pertimeſcam. Nam æquius eſt omnibus patêre, quàm doctos pariter & indoctos latére perpetuò. Deus enim O. M. qui ſecreta naturæ fruſtra non patefecit hominibus, occæcare mentes eorum nouerit, qui hac abvti voluérint arte, vel aliàs, quàm in proximi commodum, ob auaritiam conuertere. Certum eſt apud Ægyptios antè, quàm homines ſibi ſolis tantùm ſapere cœpiſſent, artem hanc in marmoreis tabulis ſculptam omnibus palàm extitiſſe: verùm iniuria temporis, vel hominum liuore potiùs, qui cęteris hominibus hãc inuiderunt, in ſecula plurima latuit: memoriæq́; prorſus exciderat, niſi diuino cautum fuiſſet cõſilio, quo Mercurius quidam Hermes Triſmegiſtus excitatus eſt: is, fortè quia non auderet eam propter metum publicè reſtituere, ſi nõ ſuo, ſaltem poſteriorum ſeculis

culis reſeruauit: eámque ſmaragdina tabula, quæ priùs marmoreis excepta fuit, vnà ſecum tumulo commendauit: poſtmodum ſucceſſu temporis iterum emerſit in lucem, & ab aliquibus ingenij præſtantiſſimi commentata viris, maximos & fœcundiſſimos hominibus fructus peperit. Quos inter hic erit minimus, non aſpernandus tamẽ, quoniam ſtudioſorum artis ingenia huius adaperiet, vt ad fœlices hortos in poſterum illis facilimus pateat aditus: niſi & ipſi plurimos imitati, nondum guſtato Bacchi liquore noſtri, mox nauſeam inde contrahant, vel ob minimam difficultatem, animique degeneris ignauiã ſui, ſitibundi prorſus abeant: idque mox declament, ac vituperent, quod ingenio conſequi non potuerunt. Non verentur interim experimentis ocularibus indies ab huius artis profeſſoribus minimis ita vinci, vt ſtupefacti iam nihil habeãt, quod adferant in contrarium, niſi calumnias præter omnem veritatem excogitatas. Alij diabolicis ar-

tibus id ipſum fieri dicunt, quod virtu-
te Dei conceſſa naturæ, factũ eſt. Cęte-
ri medicamenta huius artis corroſiua
noxiaq́; fore teſtantur, præter conſciẽ-
tiæ ſuæ teſtimonium: quæ tamen cor-
ruptiones corporis omnes, abſq; noxa
tollere, proprijs vidẽt oculis. Nõ ita, fra
tres, in Deũ & veritatẽ ſæuire decet, vt
hominibus odioſum reddatis id, quod
verũ eſſe demonſtratur. At quia hoc i-
pſum ignoratis, nullo ferre modo pote
ſtis. Ad mentẽ, quæſo, redite veſtrã: &
libenter, quod ignoratis, addiſcite: nõ
verẽtęs, quod ſummo vobis honori ſit
aſſcribendum. Ecce non inuidemus vo
bis artem, quã nolletis nos callere: imo
cuperetis nos & vos ignorare potiùs,
quàm eius fateri veritatem. Contrà nos
indies lucubratiunculis promptos ex-
hibemus noſipſos, vobis vt partem fa-
ciamus talenti nobis hac in re concre-
diti. Agitedũ faciles, gratos, liberos &
dociles animos ſcriptis adhibetote no-
ſtris: & laboris in eo lati minimè vos
pœnitebit. Vſurã huius ingentẽ feceri-

tis,

tis,modò res ipſa vobis cordi ſit, & ex animo. Si quidpiam potioris emolumenti fuerit,adferte: libenter & animo perquàm hilari,cũ gratiarũ actione,ſumus accepturi. Donec tamẽ id feceritis, opuſculũ hoc, quo vos adducere cuperemus ad occultarũ virtutũ in rebus naturalib.cognitionẽ, in duas partes diuidemus: quarũ Prior Theoriam naturalis artificij continebit,ſub tribus tractatulis: Primus de vita rerum naturaliũ, & interitu per aſcenſum & deſcenſum diſſeret:Secundus corruptiones & generationes rerũ, tã naturales, quàm artificiales, ponet: Tertius autẽ duas plantabit arbores: vnam infirmitatis, & ſanitatis alteram. Pars altera Praxin eiuſdem artificij docebit manibus exercere: quæ tribus etiam tractatulis abſoluetur: Primus organa depinget ad artem neceſſaria: Secundus fornaces delineabit: Tertius manualem practicam adſcribet: res profectò cunctis naturalis Philoſophiæ diſcipulis apprimè neceſſaria.

Faxit

Faxit D. O. M. vt eam recipiatis ad ipſius gloriam primò: demum ad Reipublicæ maximam vtilitatem, & conſcientiæ veſtræ ſaluationem. Eſto.

THEORICAE CHYMISTICI artificij Naturæ Tractatus I.

De vita rerum naturalium,

Cap. I.

NIhil eſt in rerum natura, quod vita ſua deſtituatur. Nam omne, quod generatur, à vita mundi producitur in eſſe quod eſt. Ergo viuunt omnia ſuo modo, manifeſto ſcilicet, vel occulto. Non poteſt enim aliquid aliud perfectè generare, niſi quod ſibi ſimile fuerit, vtpote viuens & animam habens ac vitam. Aliud enim eſt vita, aliud eſt anima. Licet alterum ſine altero non exiſtat, nihilo minùs vita motum excitat in animam viuentem. Eſt itaq; vita cõmuniter, ignis in humido ſuo radicali motum naturaliter excitans: vel per temperiem, & ſana vita

J. D'Annebault

nuncu-

nuncupatur: aut per intemperiem, & infirma dicitur vita. Neceſſariò quidē huiuſmodi naturalis ignis eſt nutriendus: aliàs extinguitur per ſuiipſius cōſumptionē: cū eius natura ſit cōſumere, quod etiam ab ipſo generatum fuerit, in duobus generibus potiſſimùm: vtpote motu manifeſto motis, qualia ſunt animantia, vegetabiliaq; reliqua verùm occulto motu viuentia, nempe mineralia, non tam repentè ſuo conſumuntur igne, ſed longiſſimo temporis ſucceſſu per ipſum etiam reſoluuntur, vt alia corpora quæque. Videmus igitur vitam, pro ſuis extremis, ignis & aquę ſubtiliſſimam habere ſubſtantiam, & animam inter hæc duo ſitam eſſe. Nam inter ignē & aquam, aër eſt medius, vtriuſq; particeps, & ſine quo nulla vita ſubſiſtere poteſt. Non eſt, quòd quiſpiam putet, mę vitam illam fœlicem & perpetuā attingere velle: quia hæc non eſt naturalis, at ſupra naturam à Deo dependens immediatè. Quæ phyſica ſunt, hoc loco tantùm aſſumpſimus.

pſimus. Quapropter de naturali motu duntaxat in diffinitione Vitæ mentionem facere volui. Per temperiem horum duorum pręcedentium, vt humidi calidiq́ radicalium, ſanitas quibuſvis corporibus naturaliter acquiritur, vel arte. Naturaliter, cùm in prima formatione corporum, artificio naturæ cælitùs data fuerit. Artificialiter, vbi manus artificis humani dederit auxilium ex artificij naturalis imitatione: cùm per intemperiem etiam, aut aliàs ex inordinato viuendi modo negabitur. Quinam, & quibus infirmis corporibus vita ſana reſtituitur, audietis poſtea. Mirum non eſt, vitam abſque nutrimento non magis, quàm animam aëre ſine perſiſtere vllo modo poſſe, cùm ex his naturaliter vtraq; ſuſtentetur. Nam elementa vitam habent, animāq́, tā in inferioribus, quàm in ſuperioribus corporibus, & etiā per ſe. Quicunq; hoc negauerit, omnē Philoſophiā naturalē, & rerū generationē omniū, ſubvertere velle videbit̄: quia, niſi

niſi Forma viueret atq; Materia, fruſtra neū eſſet artificium ipſius Naturæ, cûm his & ipſi datum ſit à Deo ſimul, & nō ſeorſum vitā accipere. Nec in aliſs, prę-terquàm in elementis ſuperioribus & inferioribus, reperitur ipſa natura. Cùm itaq; de vita rerum in genere di-ctum ſit, de particularium vita ſucceſ-ſiuè tractandum eſt.

De rebus occulto modo viuentibus.

Cap. II.

LApides atq; metalla, necnon inter hęc media mineralia vulgo viuere non videntur: at philoſophi, qui rerum occultas virtutes inueſtigare ſolent, id viuaciſſimis argumentis, & quæ nullo refelli modo poſſunt, etiam ad oculum demonſtrant. Quis negabit Magnetis lapidis virtutē, qua ferrum ad ſe trahit, vitā eius occultā eſſe, quę nō manifeſta tur, niſi per oblationē ſubiecti patientis ignis eius actionem: vt apertiſſimè vi-

detur

det. Quis æquè temerarius, vt coti ferroq́ꝫ neget etiã ineſſe vitã, & naturalẽ ignem, ſine quibus igne propemodũ artificiali carere nos oporteret? Nónne lapis Hæmatites ſiſtit ſanguinem? atq́ꝫ Carbunculus, vltra pleraſq́ꝫ virtutes, noctu lucet? & Gagates paleas attrahit? ac oleum eius & fumus dæmones fugare perhibetur? Vnde, queſo, tale quid habent, quàm à vita cælitùs illis infuſa? Quid enim de vilioribus dicendum erit lapidibus, & obſcuris, in quibus vita minus viget, quàm in lucidis? ideo magis precioſis, quòd his illi materia craſſiore, vel impuriore conſtant, qua cohibetur eorum vita magis, quam etiam habent. Nunquid conſtant ex elementis viuentibus, vt alij? Quare igitur totum compoſitum non viuet, quod ex viuentibus conflatur partibus? Nónne videmus etiam proprijs oculis, ex medijs mineralibus, vt chalcantis, nitris, aluminibus, & alijs pleriſq́ꝫ ſimilibus, aquas fieri philoſophicas, quæ metalla quævis, & quantumvis

tumuis ſolida, lapidéſq; reſoluunt in aquam, per ſympathian eorum ad illa? Qua ratione dicetur id fieri, quàm vita quadam in illis occulta? Si quiſpiam reſpondeat hoc ſolùm ex virtutibus à cælo corporibus infuſis, fieri: interrogatur, quid aliud ſit virtus cæleſtis, quàm eius vita? ſi cælum viuit: ergo quicquid ab eo generatur, vita pollet: ſiquidem nihil aliud infundit in inferiora corpora cælum, præterquàm vitam. De his, quæ ſeparata ſunt à ſuis corporibus, tanquam pars à ſuo toto, ſicuti ſunt fruſta lapidũ à ſuis rupibus auulſorum, quid opinabimur illa viuere, cùm truncata ſint? Ab operationibus eorum & motionibus conſtat: nã quod mortuum eſt, non operatur: ſed ſolùm hoc, quod viuit. Dicet fortè quiſpiam, illos in alia corpora motus exercere, non in propria. A' fortiori concludimus, illa excellentiori viuere vita, quæ mouent alia: quàm ea, quæ per aliud mouentur: nam agens omne patiente quouis eſt præſtantius. Negatur

etiam, ea motum in ſeipſa non, ſed in alia tantùm habere: quia ſua corpora præſeruant à corruptione, qui motus actionis eſt occultus, & ſine quo non agerent in aliud: quia nihil de ſeipſo poteſt exercere, niſi etiam id in ſe contineat. Breuiter concludimus: Omnia, quæ naturalia ſunt, ſuo modo viuere: quæ verò contra naturam dicimus, eſſe mortua, nec vllo modo viuere poſſe. Nam vita naturalis eſt: Mors autem inimica naturæ, contrariaq́; , ac quantum poteſt, illam deſtruere nititur: & ideo rectè vocatur à Theologis Corrupta natura. De manifeſto motu viuẽtibus nunc eſt quòd agamus.

De manifeſtiori motu viuentibus,

Cap. III.

POſtquam de occulta vita dictum eſt, ad manifeſtiorem nos perveníre decet, quę non localiter, at per vegetationis motum agit, vt eſt vegetabiliũ omnium

omnium. Manifeſtũ eſt ea viuere: quod à generatione docetur: producunt enim ſua ſemina, quibus eorũ propagatio cõtinuatur. Et non ſolùm iſtorũ vita in propriũ corpus agit, ſed etiã in alienum: hoc experiuntur Medici. Nec propterea triplicem eorũ vitã eſſe iudicandũ eſt, quòd tria ſint genera, ſcilicet herbarum, plãtarum & arborum: quia nõ variatur in eis vita, niſi propter ſubiecti maiorem debilitatem, in quod ipſa recipitur: vtpote corporũ herbarũ exiguitas nõ plus ignis, aut vitæ recipere poteſt, quàm indiget ad complendũ ſuũ circulũ. Inde fit, vt adueniente frigoris hyemalis vredine, propter imbecillitatẽ areſcũt, quòd eorũ vita pauca vel internus ignis externo minimè reſiſtere valeat ampliſſimo. Sic ex defectu vitæ nõ ſolùm, ſed etiam propter externum inimicum intereunt: non priùs tamẽ, quàm ſemina produxerint, quæ naturaliter in aluum terræ ſuæ matris recondunt in ſpecierum ſuarum propagationem. Plantæ verò quia corpora

nactæ ſunt herbis robuſtiora, plus etiã ignis & vitæ natura tribuit illis, at non æqualiter: vt diutiùs viuere frigoriq́ poſſint externo reſiſtere. Hoc ipſum de arboribus iudicandum eſt: vt enim ipſæ maxima robuſtiſſimaq́ ſortitæ ſunt corpora, ita cæteris etiam vegetabilibus robuſtiùs temporum iniurias ferre, viuereq́ longiùs à natura datum eſt cuilibet pro materiæ ſuæ robuſtiori potentia. Quod præcedenti capitulo de truncatis à ſuis corporibus dictum eſt, hoc loco pariter adduci poteſt: & ſi hæc viuunt, vt cinnamomum, & Guaiaci lignum, ab arboribus ſeiuncta: magis fruticum, & arborum fructus, quorum perfecta ſunt corpora, & non corporum partes, viuent: maximè, quòd in ipſis propagationis ignis vitalis aſſeruetur. Hæc omnia quòd motu manifeſto viuant, patet: nam alimentum ex aqua per terram & ſuas radices manifeſtè ſumunt, vt ab eorum incremento cernitur oculariter. Non video, cur hîc diutiùs immorãdum ſit:

ad ea tranſeamus, quæ manifeſtiſſimo, ſcilicet vltra vegetatiuum, etiam locali motu viuunt.

De his, quæ manifeſtiſsimo viuunt motu,
Cap. IIII.

LOcalis motus, qui ſponte fit, & nō per áccidens, ſolis animantibus conuenit, quæ nihilominùs vegetatione mouentur, ac ſenſu. Videtur ergo motus localis ab anima ſenſitiua ſolùm impelli. Nam hoc motu carent omnia, quæ ſolùm vegetant, & non ſentiunt. Nobilior ignis etiam apparet ille, qui ſenſitiuam mouet animam, eo, qui vegetatiuam. At in animantibus vnum & eundem ignem ambas iſtas facultates mouere, cenſendum eſt: quia ſi duo mouerent eas, ſequeretur, plus, quàm vnum Solem: plus etiam, quàm vnicam Lunam in rerum natura fore: quod falſum eſt. Nam vtraq; vita, ſenſi-

tiua & vegetatiua, ꝓcedũt ex vnico Sole: pariter & vtriuſq; ſuſtẽtatio, vel alimentũ ex vnica Luna cœleſtibus: vnicũ eſſe debet id, quod mouet ad vitã: vnicũ etiã illud, q̃d motũ iſtius recipit: alias ſi plures eſſent motores, nõ poſſẽt vitã excitare, cùm ipſa tantũ ſit vnio. Si plura forẽt etiã ea, quę motũ reciperẽt, diſſolutio generaret̃ & mors: cùm naturalis vnio fiat inter duo tantùm, quæ priùs vnum fuerunt, & ex vno ſeparata ſunt, vt rurſus in vnũ naturali ſuo vinculo redirẽt. Dicet quiſpiam, Animalia nutriunt̃ ex corporib. & vegetatiua ex aqua: ergo nõ ex Luna ſola. Reſpõdet̃, corpora corporib. nutriunt̃, ſed alterutra vita Luna cæleſti nutrit̃ in quibuſvis corporib. nutrientib. exiſtẽte potẽtialiter. Animantiũ certè vita brutalis, caducas inter eſt omnium nobiliſsima, quòd ſpõtaneo motu quovis locorum corpora ſua vehat. In dubiũ tamẽ verſari poſſet, an ſenſitiua nutrimentum recipiat, vel vegetatiua: ꝑ id, q̃d ſuperiùs allegatum eſt, reſoluitur, vtpote Lunam

nam vnicam eſſe, quæ nutrimentum e-
tiam vnicum præbet vni Soli vitam v-
tramq; fouenti. Quapropter vtraq; vita
recipit vnicum alimentum: ſenſitiua ta
men per vegetatiuam. Nam ſi defecerit
ipſa vegetabilis virtus in animantibus,
deficiet etiã ſenſitiua. Manifeſtior eſt ta
men vitalis ignis in ſenſitiua, quàm in
vegetabili, mineraliq; vitę facultatibus.
Videmus ignem in iſtis ita remiſſum
fore, vt exteriùs nullo tactu percipi va-
leat: in animantibus autem vitalis i-
gnis eſt externo tactui manifeſtiſſimè
perceptibilis: & quia intenſiſſimus exi
ſtit in ſuo centro, reliquas omnes cor-
poris ſui facultates ciet, mouetq;: na-
turale quoque totum artificium exer-
cet in iſto viuaciùs, quàm in alijs duo-
bus generibus: et ideo corruptioni ma
gis obnoxia ſunt animalia, quia calidũ
in humidum, quod illis eſt abvndantiſ-
ſimum, acriùs agit: in alijs remiſſiùs, &
per conſequens, temperatiùs, pro ſui li
quoris etiã quantitate minori. Sed quia
occultũ ſuo manifeſto ſemper cõtrariũ
 eſt

eſt, & econtrà fortior eſt ignis, qui per magiſteriũ noſtrum extrahitur à mineralibus, eo, qui à vegetabilibus & animalibus tractus eſt. Hæc, & præcedentia quæque non alia de cauſa putetis à me citata, quàm vt per ea demonſtrem, illa, quæ longiorem progreſſum habent ad vitam, temperatiora commodioraq́ fore ad humanam vitam cõtemperãdam, illis, quæ citiùs orta ſunt. Nam alia prolixiùs difficiliúſq́ tranſeunt ad interitum: non quòd (vt ſolent aliqui temerarij) dicam fieri poſſe hac, vel alia ratione quauis, vt vita prolongetur: quod fatuum eſt, & abſurdius quàm vt eius mentio fieri debeat. Nam conſtituit nobis Deus vitę noſtræ terminum, quem præterire nemo poterit vnquam: numerúſq́ dierum noſtrorum eſt apud ipſum. Si quid in dies noſtros poſſumus (quod aſſertũ, negatúmve nolim) potiùs in abbreuiationem, quàm prorogationem foret. Sed hæc eſt in iſtis opinio mea, ſcilicet ordinato viuendi modo hominem ſa-

num

num viuere poſſe per naturam æqualiter: quod ſic intellectum velim tãtùm, vt pro defectu vitalis ignis præ ſenio, non plus, nec minus deficeret nutrimentum eius. Hoc vt meliùs intelligatur, conſtituamus communis vitæ curſum huius annorum ſeptuaginta, quos in decem gradus per ſeptenarium, aſcẽdentes quinqꝫ, totidem etiam deſcendentes, partiamur. Erit aſcenſus numerus annorum trigintaquinqꝫ, deſcenſúſqꝫ numerus æqualis erit. A' primo quidem vſqꝫ ad ſeptimum annum primi gradus, proles vocabitur infans, cuius vitalis ignis, & eius nutrimentum debent eſſe temperatiſſima, ſi ſanus tamen fuerit natus: quod non omnibus contingit propter parentum intemperiem. Primus & ſecundus gradus annum quartum & decimum complent: ac in ſecundo moratur pueritia. Sic deinceps in tertio pubes, vel adoleſcens. In quarto uir. Et in quinto gradu conſtans. Vſqꝫ ad hunc gradum ponamus creuiſſe vitalem ignem, & alimentum

eius æqualiter, ſi boni regiminis fuerit aſcendens. Iam ex aduerſo ponatur primus gradus ſcalæ deſcendentis, vt non ſuperet aſcendentis vltimum gradum, & in eo complebitur annus quadrageſimuſſecundus: quo completo, conſtãtia labitur in ſenectutem. Erit igitur vir in conſtantia vitæ proportionatæ, non aſcendentis, neq; deſcendẽtis, annis quatuordecim: hoc eſt, à vigeſimooctauo vſq; ad quadrageſimumſecundum: à quo labens in ſenectutem per ſeptem alios annos, in ſecundo gradu ſcalæ deſcendẽtis quadrageſimumnonum perficit annum, totius vitæ periculoſiſſimum, ob ſeptenarij numeri critici revolutionem in ſeipſum. Hic ſumma diligentia procurandum eſt, ne violetur naturalis proportio dicta. Hinc, à ſenectute ſcilicet, labitur in tertium deſcenſus gradum, & fit decrepitus, vſq; ad annum quinquageſimumſextum: quo rurſus per ſeptenarium repueraſcit, in quarto deſcenſus gradu, quovſque ſexageſimumtertium annum attigerit.

gerit. Poſt quem ſi vixerit, obnoxius morti per ſeptenarium, vlteriùs ſeptuageſimum annum adimplebit: quem non dicimus hominem præterire non poſſe: verùm hoc tempore pro miraculo videmus accidere, vt quis octuageſimum annum attingat: talemq́ boni regiminus in vita fuiſſe virum oportet. Non fruſtra putetis, hos annos, quos Iudiciarios vocāt, mutationi plurimùm obnoxios, à me repartitos fuiſſe: quia tunc potiſſimùm ſuaderem illis, qui de tuēda ſanitate ſunt anxij, philoſophicis vt vterentur præſeruatiuis: quorum extractionis modum inferiùs explicabimus.

De rerum interitu,

Cap. V.

SVperiùs audiuimus vitam hominum, aſcenſu deſcenſuq́ terminatā eſſe. Nō eſt, quòd aliter de quibuſvis rebus

bus naturalibus iudicemus: nã omne, quod ortum habet, ad interitum tendit. Hæc ſunt omnium extremi termini, quos inter medium eſſe neceſſe eſt. Tale dicitur finis aſcenſus, & deſcenſus initium. Verùm ſicuti vita ſuum initium habet, per quod aſcendit ad conſtantiæ medietatem, ita ſuum exordium ſumit ab eadem interitus. Rerum igitur interitus eſt ignis vitalis extinctio, quę paulatim incipit per declinationem, aut ſenium, donec vitæ poſteriorem terminum attingat: quem vbi nondum attigerit, currens dicitur interitus. Hic duplici modo ſolet accidere, ſcilicet accidentali natura, vel per accidens extra naturam. Interitus ex corrupta natura per peccatum introductus eſt, nedum in hominem, ſed etiam in omnia, quæ propter vſum eius facta ſunt: quorum plurima reperiuntur, quæ reliquis tardiùs ad interitum perveniũt, ea de cauſa, quòd etiam tardiùs vitam acceperint: illa quidẽ ſunt omnium corruptioni minùs obnoxia:

quibus

quibus etiam in medicamentis contra corruptionem aptiſſimis vtendum eſſe videtur, cùm non alia potiore via propulſatur infirmitas, quàm corruptionis evitatione per tranſmutationem facta. Nam omnis expulſio naturam debilitat: evacuatio minùs, quia non ita violenta: minimè quidem tranſmutatio, eò quòd naturalis ſit. Nulla tamen trãſmutare poſſunt, quæ non fuerint priùs à ſuis craſſioribus corporibus omninò ſpoliata: cuius quidem ſpoliationis in poſterum ſuo loco habituri ſumus rationem. Cùm igitur nulla corpora tardiùs ad vitam perveniãt, quàm ipſa metalla, per ea quæ dicta ſunt: ad infirmitatem ipſam perquàm optimè vitandam atq; pellendam ſunt aptiſſima: vix enim aliquod metallum annorum milib. à natura producitur. Vnde facilè colligi poteſt, quòd quò diutiùs ſub cęleſtium virtutũ in eius formatione ſteterit obedientia, eò etiam excellentiùs illi fuerunt huiuſmodi vires, atq; cælicę virtutes impreſſę. Quapropter hoc pręcæte-

cæteris corporibus omnibus à natura creatis accipe: cuius virtutibus à corpore ſuo ſeparatis ad propulſandā infirmitatē vtere. Selige tamē illud, quod reliquis pretioſiorem formā nactū fuerit. Non ſecus de vegetabilibus & animalibus intelligendū eſt. Electionem autem in his omnibus quivis vel mediocriter inſtructus in Phyſica, facere poteſt. Papyrum his implere vanū eſſet opus, maximè quòd apud Plinium & reliquos diſertiſſime ſint evulgata. Interitus per accidens extra naturam, quem acceleratū nominare poſſumus, duplici cauſa poteſt in hominibus accidere, videlicet per inordinatum vitæ modum, cuius remedium dependet à præcedentibus: aut fortuito caſu quodam exteriùs illato, remedium huius, propter maius minúſve periculum, eſt ambiguum, & chirurgica praxi contentum: à philoſophicis tamen remedijs non immune, quorum præparationes aliquot in ſequentibus, probis non invidebo viris. Brutorum, quæ hominū

etiam

etiam brutalium, eadem eſt ratio: quia brutalem hominem tractare, phyſicũ eſt officium: rationalem verò, Theologicum potiùs, quàm Philoſophicũ. Inſenſatorum autem interitus, quo ad deſcenſum, idem eſt cum præcedentibus. De rerum interitu dictum ſit hactenus.

THEORICÆ CHYMISTICI artificij Naturæ Tractatus II.

De c rruptione & generatione, tam onaturalibus, quàm artificialibus,

PRAEFATIO.

NOn ſine cauſa poſt vitam & interitum rerũ, de corruptione & generatione tractabimus: tum, quòd naturalibus illis vita cælitùs infunditur, & artificialibus medicamẽta præparãtur, quib. ęquata vitę proportio ſeruari poteſt. Perfecta quidẽ, nõ abſoluta per

fectione: ſed (vt ita dicam) deriuatiua creata ſunt omnia. Verùm quia deriuatio neſcio quid imperfectionis adfert, propter eſſe quod habet ab alio, corruptionem admiſiſſe videtur. Et ne per hanc rerum vaſtatricem tota mundi machina rueret, voluit ſummus rerum artifex, vt eam mox rerum labentium reſtauratio ſubſequeretur: non ex corruptione, ſicuti docuerũt aliqui, dicentes, corruptionem vnius eſſe generationem alterius: tanquam ex qualitate corruptionis foret generatio: quod abſurdum eſt. Nam ex mala radice bonus fructus nullo modo produci poteſt: ſicuti nec malus ex arbore bona. Verùm poſtquam ſummus artifex videret malum ad bonum, quod creâ-rat, acceſſiſſe: voluit ſua bonitate huiuſmodi malitiam reprimere, non ſupprimere, donec illi placitum foret: malo mox ſubdens bonum, vt quod conaretur malum exequi per corruptionẽ, non ex ſuo conatu, ſed ex frænatione ſui conatus, in bonum, hoc eſt, in generatio-

ratione transiret. Sic immutabitur ſen-
tẽtia, ſcilicet Corruptionem vnius ge-
neratio ſubſequitur alterius. Dicet
fortaſſis aliquis, per corruptionem hîc
intelligi formarum priuationem. Re-
ſpondebitur: Si res multiplicandæ per
generationem ex præcedente corru-
ptione forma ſua priuarentur, nunquã
ſibi ſimile generarent: vt ſuo loco de-
ducetur infrà latiús. Quod Philoſo-
phus Corruptionem vocat, alij forma-
rum latentium indagatores, & maximè
philoſophi Tranſmutationem elemen
torum adinvicem, eorumq; mixtionẽ,
& ipſius materiæ diſpoſitionem, aliquã
do Formarum occultationem vocaue-
runt. Generationem autem, influxum
formę cęleſtis in materiam, hoc modo,
vel alio diſpoſitam eſſe dixerunt, aliàs
formarum occultarum manifeſtatio-
nem. Verùm quia iam hæc in ſcholis
vocabula recepta ſunt, non immuto,
ſed in bonam potiùs partem interpre-
tor, & eiſdem etiam in ſequẽtibus vtar.
Et cùm naturæ ſecretorum inveſtiga-
C toris

toris philoſophi munus & officiũ exiſtat, artificium eiuſdem artificis imitari naturæ, de corruptione generationeq; naturalibus tractare prius, rationi conſonum erit, ac ordini: quàm ad corruptionis & generationis artificialium exercitia devenire.

De naturali corruptione,

Cap. I.

COrruptio naturalis eſt occultatio manifeſti ſub ſuæ potentialis formæ retentione. Si per formæ priuationẽ diffiniretur, deſtrueretur ipſa generatio: nã quicquid aliquo priuatur, eius illi prorſus nihil manet. Quòd ſi granum frumenti ſatum in terram, per corruptionẽ ſua forma priuaret̃, nunq̃ aliud granũ ſibi forma ſpecifica ſimile generaret. Quapropter generationis initium formæ priuatio non eſt: at bene formę dicitur occultatio, quæ tantiſper ſub ſegetis forma per generationẽ manifeſtata latet, donec per eã rurſus manifeſtiſſimè reſurgat in priori forma,

centies

centies plus, vel minus, multiplicata. Prior igitur tranſmutatio naturalis, eſt prioris occultatio formæ ſpecificæ, in aliam virtute potentiaq́ꝫ retinentē eiuſdem tranſmutati ſpeciem, aut formam ſpecificam. Aliquoties evenire ſolet, vt granum in terra corruptum, propriã ſuæ ſpeciei formam amittat: & tunc non tranſmutatur in ſegetem, neqꝫ in ſpicam, ſed in lolij fruticē transformatur: quia nō tranſit per proprium extremi ſui medium, ſed per alienum. Eſt enim ſententia philoſophorum, Quòd non fit tranſitus de extremo ad ſuũ extremum, niſi per medium de vtroqꝫ participans extremo. Verùm in generatione lolij medium, quod eſt lolij frutex, nō participat cum vtroqꝫ ſuo extremo: & ideo non fit generatio ſemini ſimilis: at abſimilis, & contra naturam. Per hoc conſtat generationem priuatione formę factã, degenerationē dici poſſe: quę nō pugnat cōtra diffinitionē, quã ponimus: at potiùs affirmat, eò quòd ſubdimus, Cum retentione ſuæ formæ

potentialis: quæ non differt ab actuali, niſi per occultationem, id eſt, per accidens. Quicquid enim occultatur naturaliter, vel de ſua manifeſta forma trãſmutatur, naturam ſuæ formæ non trãſformat, ſed in aliam rediuiuam commutat. Non ſic de grano, quod in loliũ trãſit: hoc non immutatur ſolùm, ſed etiã transformatur. Eſt enim aliud tranſmutari, & transformari naturaliter: nam omne quod transformatur, in ſua ſpecie non remanet: quia ſpecies à forma deducitur, ſicuti granum & lolium diuerſarum ſunt ſpecierum. At granum & ſeges, licet ſub mutatis formis exiſtant, non ſunt propterea diuerſarum ſpecierum, ſed vnius & eiuſdem: quod poſtea patet ex productione grani ſimilis per ſpicam. Iterum: Occultum & manifeſtum hîc in diffinitione ſubſtantiâ non differunt, ſed accidente ſolùm: quia de vna & eadem ſucceſſiuis temporibus apparente, intelliguntur. At granum in lolium transformatum, non retinet propriam ſubſtantiam, ſed aliam recipit

pit ante influxum: ergo non cadit iſta corruptio ſub noſtram diffinitionem philoſophicam: ſed potiùs ſub corruptionem, quę naturę deſtructio dici poteſt, vt eſt peccati munus. Non debent igitur huiuſmodi generationum defectus aſſcribi naturę, ſicuti ſolent ineptè nimiùm aliqui, naturę peccatum appellare: ſed indiſpoſitę, vel defectuoſę materiæ, minùs aptæ, quàm influxum veræ ſuę formę patiatur induere. Nam ſecundum diſpoſitionem materię (quam aliqui Meritum vocant) agit forma. Quod ſuprà de grano dictum eſt, de cęteris vegetabilibus intelligi poteſt. Nō eſt animantium & mineralium corruptio diuerſa, niſi per accidēs. At quia corruptionem generatio ſubſequitur, ad eam accelerandum eſt: cui reliquorum duorum generum etiā corruptionem includemus.

De naturali generatione,

Cap. II.

EX occultatione manifeſti prædicta, ſequitur generatio, quæ manifeſtatio dicitur occulti. Sicuti granum, quod erat manifeſtum, occultatur per corruptionem, & inde ſtipula, vel ſpica manifeſtatū per generationē, quæ priùs occultabatur ſub forma grani: ſequitū inde ſeminis productio, quæ fit in propagationem: at iſta ſecunda generatio, quam propriè multiplicationē eſſe dicimus, non ita citò corruptionem ſequitur, ſed ſucceſſiué. Rerum omnium ſpeciales corruptiones atq; generationes fieri non poſſunt, niſi per generales quaſdam eas omnes præcedentes elementorum corruptiones & generationes. Eſt enim elementorum corruptio, naturalis eorūdem adinvicē permixtio, vel tranſmutatio: quæ etiam alio modo non fit, quàm occultatione formę vnius elementi ſub alterius prędomi-

dominantis forma. Generatio quidem eorum, eſt occultantis & occultæ iam elementorum formarum, ſolutione cõgelationeq́ ſuis, manifeſtatio: verbi gratia, in aërem aquæ per naturæ magiſterium ſolutæ forma, ſub aëris forma per corruptionẽ, hoc eſt, reſolutionem, occultatur, & manifeſtatione generatur aër, qui priùs in aqua fuit occultus. Poſtquàm aliquandiu ſub aëreę nubis forma latuerit aqua, nubis reſolutione facta, rurſus emergit ac manifeſtatur eiuſdem aquæ forma per generationem, id eſt, occultati manifeſtationem: quæ generatio duplex fuit, ſcilicet nubis & aquæ: nam ex aqua generatus eſt aêr, & ex aere rurſus aqua generata fuit. Hoc artificium naturę ſpecialiùs in ſequentibus demõſtrabitur. Nunc ad animantium generationem veniamus. Illa quidem, vt vegetabilia, ſemine propagantur, quod ex abvndãti nutrimento producitur: ſicuti ſemen humanum in propriam ter-

ram ſatum & ſibi convenientem, corrũpitur, vel tranſmutatur in embryonem, qui poſtmodum in ſua debita membra formatur ad vitæ receptionem, & generatur alius homo ſimilis illi, à quo ſemen deciſum eſt: mas, vel fœmina, ſecundum ſeminum diſpoſitionem, vel prædominationem. Itaq; ſexu, ſenſuq; ſolùm differt hominum & reliquorum animantiũ generatio à vegetabiliũ generatione. Sed mineralium & metallorum generatio longè diuerſa eſt: nam eorum fœtus, patris, aut matris, vt præcedentium, ſimilitudinem non referũt, neq; formam. Scimus enim ex terra & aqua parentibus, aut remotiſſimis principijs, generari metalla. Subtiliſſima quidem aquæ ſubſtantia, terræ viſceribus, & cauernis incluſa ſpiraculum nõ habentibus, igne ſubterraneo decoquitur, & per ſubtilem reſolutionem in vapores continuos aſcendentes & deſcendentes, tranſmutatur. Et quia non habent exitum, hoc naturæ magiſterio per multos annos cõtinuato, fit, vt maxima

xima huiuſmodi quãtitas aquæ reſtringatur in minimam quantitatem: inde fit, vt ita ponderoſum euadat argentum viuum, alterum, & fœmineum ſemen metallicum. Ex altera parte ſubterreaneus idem ignis terræ ſubtiliorem ſubſtantiam advrit, ac longo temporis ſucceſſu in ſulphur naturæ, liquidiſſimum, ac fluens reducit: etiam alterum, & virile ſemen metallicum. Hoc ſi forte lapideas cauernas ob ſui ſubtilitatem igneam penetrauerit, cum argento viuo miſcetur, & ex his duobus ſeminibus in matrice terræ clusis, per eorum corruptionem & tranſmutationẽ generatur metallum, patri matriq; fœtus haud ſimilis: at multò differens, vt videtur. Quapropter ſemen ex ſe non producunt naturaliter in ſuarũ ſpecierum propagationem, vt alia duo genera: ſed ex primis, & remotiſſimis principijs iterum excitatur aliud ſemẽ. Si tandem de medijs mineralibus aliquid in medium adferre licet: producũtur ex terra & aqua priùs, quàm in ſul-

phur & argentum viuum tranſmutentur: nam interea multa generantur, vt ſalia, chalcanthum, & alumina diuerſarum ſpecierum: quę quidem omnia tēdunt ad metalli generationem, aut lapidum, quos pretioſos vocant: quórũ etiam hac in parte meminiſſe decet: nã & iſti conſtant ex vaporibus metallicis: quod ars per experientiam philoſophos naturales docuit, ſcilicet ex metallorum ſolutorum depuratis liquoribus adinvicem proportione mixtis, lapides pretioſos arte generari poſſe, perquàm ſimiles illis, qui per naturam generantur. Iſti quidem ex aquæ mineralis puriſſima ſubſtantia, quæ in vaporem ſubtiliſſimum reſoluta, diu ſatis ſub cæleſtium virtutum obedientia fuerit, conſtant, vt mineralia: verùm ſi ad hanc ſubſtantiam ſulphur acceſſerit lapideum, aqueam huiuſmodi ſubſtantiam in lapides congelabit, iſtius, vel alterius coloris, vel virtutis: taliſq; reſplendentiæ, qualis ambarum partium componentium puritas, vel impuritas

puritas fuerit. Ignobiliorum verò lapidum & obſcuriorum generatio non eſt à prædictis diuerſa, niſi propter diuerſam & impuriorem proximorum ſuorum principiorum ſubſtantiã. Nũc de artificiali magiſterio corruptionis & generationis dicamus.

De artificiali corruptione,

Cap. III.

NAturalẽ imitatur artificialis corruptio, per id, quod compoſitorum à natura corporum formam ſeparatione partium occultat. Verùm quia non poteſt manualis artifex naturam in ſuis imitari principijs: hoc eſt, quia nõ poteſt elementa ſimplicia, ſicvti natura, tractare: cogitur ea venari principia, quæ natura ſub compoſitione corporum occultauit. Qua in re diſcrepat ab artificio naturæ tantùm in ſua corruptione, quòd in-

diui-

diuidua retrahit ad ſuum genus, illa genera dilatat per ſuas ſpecies in indiuidua. Dicit̃ enim artificialis corruptio, partium componentium à ſuo toto ſeparatio: quam artifex duplici cauſa facit: priorem expoſuimus: poſteriorem audite. Non operatur natura per ſubtiliationem & mundificationẽ in omnibus ſuis principijs inferioribus: at ſimpliciter vtit̃ illis, vt illa præparata ſunt, ad formæ receptionem: aliàs ex omni metallo faceret aurum. Et in eo ſuperat manualis artifex opificiũ naturæ, quòd partes à toto per ſuum artificium ſeparatas, in ſummam ſubtilitatem, quantũ fieri poteſt, redigit. Subtiliſſimum profectò fuit manualis artificis ingenium, dum ſub æthereis ſuis corporibus latẽtes formas atq; cæleſtes, ab omnibus elementaribus & craſſis corporibus liberas & ſeparatas, extrahere poſſe, firmiter ſibi perſuaſum habuit: fecit, & experimento comprobauit. Non enim poſſunt virtutes, formæq; cæleſtes haberi ſimplices ab artificibus, cùm nec

in

in cęlo ſine ſuis æthereis corporibus exiſtant: ſed illis indigent, tanquam rtinaculo, vehiculoq́ꝫ: ſic etiam elementa ſimplicia non perſiſtunt, niſi in corporibus formiſq́ꝫ cæleſtibus. Inferiora quidem ita mixta ſunt, vt in quovis quodlibet actu ſit ac potẽtia, quæ cauſa permutationis eſt ad invicem.

De artificiali generatione,

Cap. IIII.

NOn ſecus ac ipſa natura corruptionis occultatione manifeſtat id, quod priùs occultum erat in manifeſto: manualis artifex occultatione cõpoſiti manifeſtat id, quod ſub eius compoſitione deliteſcebat. Compoſitum enim in ea tãtùm reſoluitur, ex quibus compoſitum eſt. At omne corpus ex elementis conſtat. Quapropter in elemẽta reſolui neceſſum eſt. Quatuor tamen ſunt elementa quibuſvis nota. Verùm quicũq́ꝫ manuali corruptione cor pora

pora ſoluunt,tres partes duntaxat inue niunt,ſcilicet aquam,oleum & terram. Vbi ergo eſt quartum elemētum? Reſponſio facilior eſt,quàm vt deſcribi debeat. Natura quatuor elementa compoſita per corruptionem & mixtionem eorum adinvicem, cum ſimplicibus elementis iungit in generationem omnium. Inde ſequitur, omnibus corporibus ineſſe cum compoſitis etiam elementa ſimplicia: quod dubium nō eſt. Sed quia natura tria tantùm elemēta compoſita noſtris obnoxia ſenſibus eſſe voluit,vt ignem in centro terrę,tactui: terram huic,& viſui: quibus & aquam: noluit etiam, vt arte plura ſenſibus eſſent perceptibilia. Aërem autem aliȷs non permixtū elemētis, quis vidit vnquam? aut tetigit perceptibiliter,alióve ſenſu quopiam percepit? Nonne ſufficit, quòd ars naturam imitetur? Propterea non deperit aër arti,non magis,quàm naturæ : nam ſemper aquæ, & igni, qui eſt in oleo, permixtus eſt. De quo latiùs diſputabitur,cùm artem appro-

approbare deſtillatoriam oportebit in ſequentibus. Simplicia corporibus ineſſe compoſitis elementa qui negauerit, primam rerum generationem omnium etiam hoc ipſo negabit: quia non magis poteſt materia ſine forma, quàm ſine viro fœmina, vnquam generare. Hoc eſt igitur naturalium philoſophorum ſtudium potiſſimum, vt illa cum cæleſtibus virtutibus, quæ ſub ipſis latent, habeant, ac de craſſioribus elementis inferioribus, tanquam à carceribus teterrimis eruant in vſum rei medicæ, vel vitæ ſanæ conſeruationis. Hæc ſunt, quæ de corruptionibus & generationibus, arte, vel naturâ factis, impræſentiarum dicere propoſueram.

THEO-

THEORICAE CHYMI-ſtici Artificij naturæ tractatus III.

De arboribus: vna Infirmitatis, & Sanitatis altera,

PRAEFATIO.

FRuſtra certè corruptionem & generationem arte factas, ad imitationem induſtrioſæ naturæ ſcripſiſſem, niſi poſtmodũ, quid inde ſequeretur vtilitatis, adderem. Antiqui Philoſophi, ſibi nedum, ſed ſui temporis coætaneis viuentes ac poſteris, artem hanc Herculeo labore partam, hominibus non inviderunt: imo potiùs liberaliſſimè communicârũt, ſicvti plurimis eorum in lucem editis monumentis apparet. Illi verò, qui propter ingenij ſui ruditatem, aut ignauiam intelligere prima facie nõ potuerũt, viliter & abiecto quodam animo, præter omne viri ſtudioſum

ſum officium, indignè vilipendere cœperunt, quod omni laude præ cæteris omnibus ſtudijs ac laboribus dignum erat. Quid mirum? cùm videamus hac ætate ferrea virtutes ferè omnibus abiectas, earumq; locũ omne, quod friuolum eſt ac ocioſum, occupare. Quid inde? Margaritam hanc propter obtuſos, obſcuriq; homines ingenij ſepeliã? alióſq; probos & ingenio præſtantiſſimos ea priuabo viros? Abſit. Stylo potiùs humilimo, quibuſvis etiam familiariſſimo, rem omnẽ aperiam, nequid malignis calumniarum ſit reliquũ. Videamus tandem, quid adhuc nutriant veneni, quod in hanc artem evomant. Adeſte, qui Muſas æquo, non ficto, colitis animo: & his, quæ vobis præparata ſunt, fruamini. Contrà vos, qui ſpernitis ea, quę colenda ſunt, & aſpernãda colitis, fugite procul hinc. Betæ ſunt hæ labijs inſuetæ veſtris: carduos, ite, paſcite veſtros.

De arbore Infirmitatis,

Cap. I.

QVatuor in cęlo Planetis imperfe ctioribus quatuor in corpore noſtro correſpondent elementa: videlicet Saturno, Mercurio, Veneri & Marti, Terra, Aqua, Aer & Ignis: ex quibus conflatum eſt. Inde fit, vt corpus hoc infirmum eſſe dicatur propter partium imperfectionem. Plantabimus igitur ex his arborem, cuius radicem aſſcribemus ipſi Saturno: per quam varius ille Mercurius, & Venus truncum & ramos aſcendentes, folia, floréſq; Marti præbent fructus inde ferenti. Occurrit hîc maximum inter antiquos & recentiores Medicos diſsidium: hoc ponere viſum eſt: non, quòd cõtra quemquam ſcribere cupiam, ſed vt videant recentiores opinionem antiquorum: illam exactè ſatis examinẽt, ac omni ex parte viſitent, ſi quid inveniant authoritatis ex luce naturę, quod

cam

eam labefactare queat, ac Hermetem Triſmegiſtum & ſuos, Hippocratis reddere diſcipulos. Sin minùs Hippocrates, & ſui, fiant Hermetis diſcipuli: non eſt, quòd partium altervtra ſuos ſcriptores adferat: aliâs, vt antea, lis indeciſa perpetuò manebit. Solam authricem ſtatuant Medicinæ iudicemq́ Naturam: cuius etiam authoritatibus ex eius luce deductis, inter ſe pugnent. Aggrediar interim opiniones, quantum in me fuerit, deſcribere, tam vnius, quàm alterius partis. Recentiorum eſt omnium ſententia Medicorum, quatuor in humano corpore humores exiſtere, quos atram, flauamq́ bilem, ſanguinem & pituitam vocant: ex quibus corpus ſuum phyſicum conſtituũt: hac ſcilicet adducti ratione, quòd humano ſanguini de vena, vel alio loco tracto, videãt aquã ſupernatare, quã pituitam vocant: huic etiam aliquid flaui mixtũ atriq́ colorũ: ex his manifeſtis quatuor elemẽta, quib. humanũ corpus cõſtat, eſſe iudicãt. Nil mirum, q cum ipſi mani-

niſeſtam ſolùm ſectati naturā, occultę penitus ignari ſint, nō alias de rebus iudicare poſſunt, quàm ſuperficialiter. Verùm non ita ſe res habet in occultioribus, vt infrà patebit. Non ęgrè ferent, ſi quidpiam adducamus, non liuoris in ipſos, at charitatis potiùs cauſa: vice verſa nos gratiſſimo feremus animo, quicquid in ædificationem artis Medicę contra nos etiam attulerint, vt ſuprà diximus. Nónne vident corpus & ſanguinē, eſſe duo diuerſa corpora: prius videlicet, quod alitur, & ex ſemine productum eſt: alterum, quod alit, ex potu ciboq; proveniens externis? Iudicium igitur eorum eſt in alente & externo corpore: non in eo, quod ſubiectum eſt accidentium peccantium. Et ita cibis & potibus in ſanguinē & excrementa ſua tranſmutatis medebuntur, non indiſpoſito corpori naturali, ſed accidentali cuidam & excrementali. Si dixerint, nullam eſſe differentiam inter ſperma & ſanguinem, eò quòd affirmabunt ex ſanguine ſuperfluo productum

ductum hoc eſſe: reſpondebitur, quòd non ex ſanguine, qui adhuc in venis, aut alio quovis loco hæret, eſt ſperma: ſed ex ſanguine iam in alimentum trãſformato: quod amplius non eſt ſanguis, ſed alimentum ad membra nutriẽdum: ex cuius nutrimenti ſuperfluo generatur. Rurſus contrà, Sanguis puriſſimus, & à reliquis tribus humoribus, quos vocant, repurgatiſſimus, quatuor in ſe continet elementa, puriora & ſinceriora, quàm illa ſunt, quę in ſanguine fore videntur: quod arte Chymiſtica demonſtratur evidentiſſimé. Non indiget ergo natura vilioribus in alimentum ſui corporis, cùm pretioſiora poſſideat. Iterum contrà: Nullam facit natura ſeparationem, pręter quàm ad eiectionem ſuperflui, neceſſariiꝗ; retentionem. Cùm igitur ipſa partes à Medicis recentioribus aſſumptas ſeparet à ſanguine retẽto per ipſam, in reiectionem id facit. Probatur ex eo, quòd natura per ſeparationem non generat: ſed per commixtionem, quam in ſanguine

puro facit per minima. Per ſeparationẽ autem corrumpit ad mundificationem & ſubtiliationem, ſicut infrà dicetur, & ex artificio naturæ docebitur. Si quæ ſint, quibus hæc refelli queant, manifeſtis naturæ teſtimonijs adducantur cũ aliqua modeſtia: non, vt conſuetum eſt, clamoribus & calumnijs in veritatẽ naturæq́; lucem invehendo. Humaniter accipiemus, & hilari prorſus animo reſpondebimus: non verbis tantùm, ſed ad oculum demonſtratis operationibus ex ipſius naturæ luce deductis, ſi fuerit opus: vt lis coram quovis iudice, non partiali tamen, decidatur. Interim vt alijs etiam liberum ſit noſtro corpori phyſico, quoties volent, opponere ſe, quod & quale ſit illud, non ex nuda ſuperficie, ſed ex tribus dimenſionibus, quibus omnia corpora conſtant, explicabimus: vt manifeſtiora minùs apparentibus oppoſita, iudicari valeant. Ingenuè fatemur, humana corpora quatuor elementis eſſe naturaliter compoſita: verùm quia tria tantùm ſunt ea, quæ ſub ſenſus noſtros cadunt,

ſcili-

ſcilicet terra, aqua & ignis (vt ſuprà dictũ eſt) ijs etiam contenti ſumus: nã inſenſibilia nõ curat medicus. Quartum elementũ, aer ſcilicet, nõ eſt per ſe, nec in ſubiecto perceptibilis. In vento & in nube nõ ſentitur aer: ſed aqua, quę per transſmutationẽ eſt aeri permixta. Non ita de igne: quoniã nõ ſolùm eius ſubiectũ, vt lignũ, ſed ignis ipſe ardens manibus tangitur: & in oleis cauſticis non ſolùm oleũ, ſed ignis ipſe cauſticus exiſtẽs in oleo, lingua percipit. Quapropter Medici omniũ antiquiſſimi, iudicârũt, illa tria, quę diximus elemẽta, Medicinam cõcernere. Nec huic opinioni ſuæ voluerũt aſſentire magis, q̃ ex luce naturæ per experientiam comprobaretur. Quo factum eſt, vt aluum dictę naturæ tentârint in omnibus introſpicere. Nihil aliud ibidem invenire potuerunt vnquam, niſi tria, quæ dicta ſunt. Aerẽ ſimplicẽ, aut cõpoſitũ, ab alijs nullo ſegregare potuerũt artificio: ſed ſemper aquæ didicerunt, vel igni, ſub oleo permixtũ eſſe: q̃d liquebit infrà latiùs. Arborẽ igit̃ plantârũt infirmitatis, cu-

ius Saturnia radix, & oẽs partes arboris eiuſdẽ ſolidiores exiſtũt: ſucci oẽs, qui ꝑ ipsã radicẽ aſſurgũt in truncũ, ramos, frondes, flores, & fructus, Mercuriales: at calor & ignis, qui ſuccos huiuſmodi ſugens a radice trahit, Martialis: Venerem ipſam aeris loco ſub Mercurij pinguiori liquore, qui Martem libenter in olei forma ſequitur, concludentes. Nã vnicum dicunt eſſe liquorem in rerum natura, non plures: quod ſic probant: Natura quatuor elementis tantùm vtitur pro materia ſuæ compoſitionis, inter quæ non eſt, niſi vnicus liquor, qui eſt aqua: ſequitur, & in compoſitis nõ eſſe plures vno. Interim ad arborem redeamus. Ab iſtis tribus, quę dicta ſunt, morbos omnes in ſuum corpus phyſicum, quod ſpermatis eſſe dixerũt ac alimenti, confirmantes imprimi, tria tantùm eſſe morborum genera generaliſſima docuerunt conſtantiſſime: cuilibet etiam generi ſuas ſpecies aſſignârunt. Sicut radix in terra, necnon rami ſupra terram, in varias extremitates dilatan-

latantur:ita etiam Saturnus phyſicus et infirmus, varios ſuos morbos in humani corporis terram, id eſt, in omnes ſolidiores eius partes, imprimit. Mercurius etiam infirmus, per truncum & ramos omnes in humanũ liquorem ſuos morbos infundit. Et malè ſanus Mars etiam phyſicus, ignem humanum varijs flammis accendit. Hoc opus, hic labor eſt Medici, cuivis horum generum ſuas peculiares aſſignare ſpecies: vt vice verſa queat arbor hæc infirmitatis, in ſanitatis arborem tranſmutari. Sed ne cuipiam videatur abſurdum, quòd Planetas in artis noſtræ tractatione ſumpſerimus: dicendum erit vlteriùs, qua ratione id factum ſit. Sũt enim Saturnus, Mercurius, Venus atq; Mars, propter ſuos nunc malos, modò bonos aſpectus, quos indies corporibus noſtris infundunt, ambigui: quapropter contrarias paſſionum facultates imprimunt; vtpote Saturnus infœlix, ignauiam, pigritiam, ſocordiam & graues ac Saturnios morbos imprimit: Mer-

curius aſtutiam, nequitiam, circumvẽtiones, furta, & Mercuriales morbos: Venus concupiſcentiã, corporũ turpẽ ſocietatẽ, & Venereos morbos: Mars aũt latrocinia, iugulationes, ſeditiones, homicidia, Martialéſq; morbos. Contrà bonas etiam imprimunt fortunati, quib. reſiſtere malis, animo quidẽ poſſumus: vt Saturnus fortunatus, quem vocant, bonam imaginationem & ſpeculationem, ob ſtudij gradum, quem obtinet, nobis adminiſtrat: per quas ad Mercurium pervenimus, qui perceptionem, & veri iuſtiq; diſcrimen à falſo, cognitionis gradu ſuo tradit: Venus autem quia gradui præeſt amoris, pudicitiæ, caſtiq; dilectionem, & amoris honeſti nobis imaginẽ ob oculos depingit: Mars fortunatus vigilantiã ad reſiſtendũ tẽtationib. addit: non, quòd abſolutè faciant id, quod ſolius eſt Dei: ſed mediatè, ſic diſponente natura cæleſti, cui Deus hanc poteſtatem dedit. Corporale remedium arte noſtra quî ſit adhibendum, audietis inferiús.

De ſanitatis arbore,

Cap. II.

SVmma cum reverentia triadem in vnitate coluerunt antiquiſſimi philoſophi: tam illi, qui Chriſtum ignorârunt, quodã inſtinctu diuino nimirum illis eminùs apparente: q̃ illi, qui cominus illuminati, Chriſtum ſunt amplexi. Nã ea, quam in Diuinitate ſummo decore colimus ac fatemur, trinitas in omnib. quę à ſummo D.O.M. creata ſũt, illis, qui ſecreta naturę perquirunt abditiſſima, ſui ſpecimẽ atq; figuram offert: quod in Practica noſtrę Phyſices apertiſſimis docebitur exemplis. In corpore primùm humano tria ſunt, quę requirunt ad eius ſanitatẽ cõſeruandã: vtpote Sol, Iupiter, et Luna phyſica. Plantet ex his igitur ſanitatis arbor, cuius radix & ſolidæ partes Iupiter exiſtat, per cuius truncum & ramos Lunaris liquor ad Solem aſcendat: non aliàs, quàm in humano corpore quatuor Planetas

exiſtere

exiſtere diximus. Perfectiores atq; temperatiores, etiam tres, quos in arbore ſanitatis ponimus, pulcherrimo quidẽ ordine iubilant, animumq; referunt in corpore: ſicut illa quatuor ad corpus applicantur & ad animum. Hinc fit, vt antiqui philoſophi rem ipſam intelligẽtes, cùm alicui vellent amico felicitatẽ imprecari, ternam atq; quaternam illis beatitudinem optabant: hoc eſt, animi corporiſq; ſanitatem: quòd alias Mens ſana dicitur in corpore ſano. Verùm ne hęc antiquiſſima, pulcherrimaq; ſententia prætereat indeciſa, Mentis priùs ſanitatem exponemus, deinceps corporis. Tribus facultatibus pollens, vtpote Ratione, quę Solis eſt: Intellectu, qui Lunæ: Memoria, quæ Iouia facultas exiſtit, mens noſtra ſanitatem adipiſcitur: quorum etiam phyſicorum Planetarum tres gradus eſſe dicuntur ad ſummam illam adeptionem: videlicet Iouis virtus, Lunæ potentia, Soliſq; miraculum, quos præterire nemini licet. Ad corporis ſanitatem veniamus.

Dixe

Dixerunt hominum doctiſſimi, rerum naturaliũ experti, Solem generare Solem: & amplius, omnium patrem eſſe, Lunamq́ matrem: Terram nutricē, & Aerem ventrem, vti videre licet ex ſcriptis Mercurij Triſmegiſti. Quid per Solem, per Lunam, Terram, & Ventum, aut Aerem intelligat Hermes, diligenter inquirendum eſt. Certius eſſe nihil poteſt, Solem illum, qui vigintiquatuor horarum ſpacio totum orbem circuit, rebus omnibus à natura productis vitam influere naturalem. Ergo Sol eſt in illis omnibus potentia & virtute per vitam. Deinceps vt Sol idem influxus ſuos ad inferiora mittit per Lunam, quæ vigintiocto dierum ſpacio ſemel cum dicto ſuo Sole cæleſti modo coit, circulumq́ ſuum perficit: non aliàs ignis ille ſolaris vitaliſq́ rerum animales virtutes, quas à vero Sole recipit, in omnia ſui corporis mēbra per ſuam Lunam, id eſt, aquam, vel (vt apertiùs loquar) per ſuum liquorem, quem ſuprà diximus ignis eſſe nutrimentum, infun-

infundit. Tandem per ventum aerem intelligit: hic autem (vt ſuprà tetigimus) medium tenet inter ignem & aquam: eóq; ſine vita perſiſtere non poteſt, non magis, quam extrema ſine medio. Per terram vbera naturæ nobis indicat, per quæ lac illud, quód audiiſtis, fœtus omnis in alimentum & ſuæ vitæ ſuſtentationem ſugit. Ecce frater, quod antiqui tot ænigmatibus velârunt, innumeriſque voluminibus proſa, carmine q; cecinerũt occultiſſimè, breuibus, apertiſſimiſq; verbis in tui gratiam reuelatum munus offero: nec à te cupio, quòd retribuas aliud, præter quàm in poſterum artem hanc non vituperes, neque detractes amplius: at potiùs toto conatu diligas améſq;: nec ſecus, ac ipſum te, colas, & vſuram inde colliges: quam vt aſſecutus fueris, Deo gratias immortales agas, & in vſum dilectionemq; proximi tui, quicquid ex ea collegeris, eroges. Quod ſi feceris, labores tuos benedicet D. O. M, animabiſq; profeſſores artis huius ad maiora

ſora tibi probiſque viris detegendum, quę latuerunt hactenus. Interim aggrediar:

Solis & Lunæ veſtrorum, ô vos, qui ſanam vitam cupitis, curam agere decet per Iouis temperiem.

Superiùs abundè ſatis dictum eſt, quid Sol ſit in homine, quid Luna. Quid autem ſit Iupiter in arte noſtra, ſatis etiam conſtat ex præcedentibus. Verùm ne cuipiam lectorum ob ſegnitiem defeciſſe dicar, latiùs explicabo. Temperamentum cibi potúſq; temperatorum, plurimum poteſt ad ſanæ vitæ conſeruationem: quod omnibus notum eſt. At in vno ſolo temperamentum non fit, nec etiam proportio. Conſiderandum eſt igitur, ad minus duo fore debere, quæ temperiem admittant. Quaproter in Ioue noſtro duas eſſe qualitates dicimus, vtpote calidum & humidum radicalia, vel naturalia: quæ ſic æquari debent, vt librata bilancem ad angulos rectos ſuſpen-

ſuſpenſam habeant: aliàs ſana vita ſubſequi non poterit. Proportionem hanc qui ſeruauerit, ad vltimum vſq; vitæ terminum ſanus poterit viuere. Diuerſas rationes huius tẽperamenti ſcripſerunt aliqui, ſcilicet Galenus de tuẽda ſanitate, Marſilius Ficinus etiam de triplici vita, necnon alij quàm plures doctiſſimi viri Medici, quorum ſcripta legi poterunt. Omnes in eo cõuenũt, vt Iouem ſibi tam in cibis & potibus tẽperatis, quàm in alijs vitæ motibus cõciliẽt. Supervacaneũ foret, ea, quę iã ab alijs ampliſſimè ſunt edita, recenſere: verùm hoc addam, ingentem fore laborem, tam in cibis & potu, quàm in reliquis actibus, Iouem ſemper obſeruare. Quòd ſi fortè per exceſſum, vel defectum alterius partis inæquata reddatur proportio, quia non eſt humanum cognoſcere poſſe naturæ proportionem æqualiter: non ſuaderem, vt quis per ſupplementum defectus, aut detractionem exceſſus, vt ſolitum eſt hac tẽpeſtate, procederet: ſed potiùs hoc mu
neris

neris & officij naturę committeret: verbi gratia, ſi quis ob exceſſum cibi, vel potus, oppilationem ſtomachi pateretur, igniſq; naturalis vires digeſtiuas debilitaſſet; conſulerem prius à potu ciboq; tãtiſper vt abſtineret, donec alios appeteret ipſamet natura: ſi fortè hoc tardiùs æquo fieret, paucis admodum ad ſuſtentationem ignis vitalis vteretur: & his potiſſimùm, quæ temperamento Iouem referunt: inteſtinorum tamen obſtructionem cliſtere tutè laxare poterit. Si quis verò per nimium exercitium, aut aliàs, vitalem ignem accẽdiſſet, econtrà ſuaderem, vt facta quiete quadam ederet ac biberet moderatè quidem ea, quę Iouiam haberent naturam, ne propter alimenti defectum ignis, qui natura eſt edax, radicale ſuum humidum abſumat. Has binas methodos obſeruatione facilimas qui ſecutus fuerit, ſanitatem facilè tuebitur abſque ſtomachali medicamento. Verùm Philoſophico more dictarum partium excedentium, vel deficientium, vtpote

Martis, Mercurij, vel Saturni, quælibet ſeparatim, vel ſimul, per tranſmutationis modum, & nõ per ſupplementum, aut detractionem, emendari poſſunt. Nam Philoſophica medicamenta non agunt per quantitatem, ſed per qualitatem. Quapropter ſi defecerit Solaris virtus, & in Martialem imperfectionem lapſa fuerit, per Solarem ex altero corpore tractam, eſt reſtauranda: ſympathia quidem, non antipathia, quia natura naturam appetit, & in ſui ſimilem tranſmutari plurimùm gaudet. Quæ de ſanitate, vel infirmitate, hucuſque Theoricè dicta ſunt, per ea, quæ ſequuntur in Praxi, clariùs elucidabuntur.

Theoricæ Phyſices huius concluſio.

STudioſorum ingenium peculiare præ cæteris hoc habet, vt quicquid virtutum aſſequitur, arte, vel ingenio;

genio: ſibi ſoli non, at quorumvis vſui commodóque velit eſſe proprium. Ipſe quidem, neſcio, qua vena ductus, id vel minimum, quod ſummo ſtudio, labore, ac temporis & ætatis iactura pe peri, ſubticere nõ poſſum, nec amplius ęnigmatib. obtegere: cùm id arti huic innumeros inimicos peperiſſe videã. Quapropter ea, quæ ſuperiùs hac Theorica noſtra verbis apertiſſimis propoſui, nunc in ſequentibus per Pra cticam ei correſpondentem, clarioribus & manualibus ad oculum demonſtratis operationibus elucidare conabor. Adeſte, qui Naturæ ſecreta cupitis introſpicere: vos quoque detractores, & inimici naturæ, quotquot aliàs nobis obtrectare ſoliti, veritati manifeſtæ hucvſq; reſtitiſtis. Talia ſunt, quę vobis vltrò citróq; liberaliter offeruntur. Quicunq; grato receperint animo, fructum & alijs ferent ex ſuo labore: qui verò non, adferant, quibus hæc improbare valeant, papyróq; publicent, vt poſſimus illis & manife-

ſtò reſpondere. Non eſt, quod ſuo more ſolito, poſt tergus, noſtro, vel artis honori detrahant. Aut taceant, aut improbent, vel edant meliora. Stultè quidem agunt, dum veritatem ſupprimere conati, videant ipſam abundantiùs in lucem emergere: dumq; profeſſorem vnum huius artis perſequuntur, alios decem exurgere ſunt experti, qui cauſam eius acriter defendendam ſuſcipiant. Valeant iſti, quod poſſint: meam intentionem non retardabunt, ſtudioſis quin proſim ex animo. Praxim igitur Phyſices ad imitationem artificij naturæ, feliciter incipiam.

CHY-

CHYMISTICI ARTIFIcij *naturæ Practicæ,*

PROLOGVS.

CVM Hoc noſtrum artificiũ dicam imitari naturam: æquum eſt,vt probabilibus argumentis roboretur, non propriè noſtram,ſed naturæ practicam fore,quam nos æmulamur. Hinc fit etiam, vt in titulis naturæ Practicam nõ nobis aſſcribam. Certum eſt, ignem in centro terræ centrum habentem, ſic diſponente natura, ſurſum aquam, & cũ ea terræ ſubtiliorem ſubſtantiam & ignis,per ventum, vel aerem in nubem agere: teſte Mercurio Triſmegiſto,dicente: *Portauit eũ ventus in ventre ſuo:* hoc eſt, ſemen inferiorum elementorũ omnium Aer ſuſtulit in cælum: quod Hermes poſtea ſubdit, *Aſcendit à Terra in cælum.* Poſtquam aliquandiu hæſerit in illa nubis ſubtilitate,virtutibúſq; cæle-

cęleſtibus imprægnatum, & femini maſculeo iunctum fuerit, nubis reſolutione per calorem deficiētem, in aqueum graue corpus vna cum ſubſtantia reliquorum elementorum deſcendere cogitur in terrã: hoc eſt, ad inferiora: quod Hermes inquit: *Et iterum à Cælo deſcēdit in Terram: & ſic recipit vim ſuperiorum & inferiorum:* intellige, prolem vtriuſq; parētis. Ibi ſatis clarè docet Hermes, generationem primam ipſius naturæ fieri inter ſuperiora & inferiora, quæ fuerunt ex vno & eodem corpore diuiſa per ſummum artificem, vt generare poſſent: quia nihil generare poteſt in ſeipſo, ſed in alio, quod ex ſui natura ſit. Non aliàs in artificio noſtro: Nos corpora quævis ex elementis naturaliter compoſita, recondimus in bociam, vel cucurbitam vitream, quæ terreni globi nobis vicem refert: ſuper quam galeam roſtratam ponimus, quæ cælum repræſentat: deinceps ignem exteriùs agentem ſub centro cucurbitæ ſuccendimus, quo reſoluitur huiuſmo-

iuſmodi corporis Mercurius, id eſt, aqua, in ventũ, hoc eſt, in aerem, per quẽ in cælum attollitur: & ibidem exiſtẽs aliquantiſper, cum ſuis, quas à cælo virtutes habuit in ſui compoſitione, ſuis conſortibus per minima commiſcetur: tandem reſoluitur idem aer in aquam, & per canalem, ſiue roſtrum, deſcendit in terram, hoc eſt, in vas ſubmiſſum & recipiẽs. Ex hac operatione prima nos Mercurium extraximus. Talis eſt etiã ipſius Martis extractio, niſi quòd acriori ſit igne, per quem aſcendit cum ſua Venere Mercuriali, ſcilicet oleo, cui permiſcetur: ac eodẽ modo, quo prior Mercurius, in cælũ exaltatus iſte poſterior, & cum reliquis per minima (ſicuti dictum eſt) mixtus, poſtea reſoluitur, & in terram deſcendit, ac centrum, nẽpe quòd grauis iã ſit factus, redire petit. Saturnus aũt in fundo cucurbitę remanet aduſtus & niger. Hoc noſtro magiſterio plantauimus arborẽ infirmitatis practicè, vel artificialiter, ad naturalis practices imitationẽ. Sed vt meliùs in-

telligat, quid Hermes velit per hęc verba, ſcilicet *Portauit eum ventus in ventre ſuo: & Aſcendit à Terra in Cælum, & iterum deſcendit in Terram:* reaſſumenda eſt eius declaratio. Natura per circulationis motum aſcenſus & deſcẽſus continuatum, generationes omnes propagat in finem vſq; ſeculi. Interrogabit fortaſſis quiſpiam, quid'nam illud ſit, quod aſcendit & deſcendit? Reſpondebitur: eſt enim ignis, qui ſemper & abſque intermiſſione ſurgit à centro, ſurſumq; eleuatur ad cælum. At quia natura eius eſt ſemper aſcendere, deſcendere nullo modo poſſet, niſi per artificium naturæ: ſine quo per continuum eius aſcenſum fieret, vt in centro terræ nullus remaneret ignis, nec etiam apud nos: & ita nedum ceſſaret generatio, ſed etiam terræ globus in pultes per aquas et maria ſolueretur, igne deficiente: cuius calore ſiccitateq; liquefactio compeſcitur aquarum humectantium, & his ignis ſiccitas arcetur,

tur,ne terra frietur in puluerem: vt amborum conſortio conglutinetur in maſſam. Hac enim de cauſa natura, ſagax artifex, diſpoſuit ex diuinæ Mentis ordine, quòd ignis aſcendens (vti dictũ eſt) aquarum grauiora corpora ſecum per ſubtiliationem in aerem tranſmutata, ſurſum ferat, tã à ſuperficie terræ, quàm à concauitatibus eius. Poſtmodum huiuſmodi aqua in aerem trãſmutata, ſurſumq; lata, cùm tam altò peruenerit, vt ignis vires ſubtiliantes debilitentur, eò quòd penes concauitatem primę ſphæræ cæleſtis remiſſiſſimus eſt, nubis aer aqueus iterum in ſuum graue corpus reuertitur, & ignem aeremq; ſecum etiam tranſmutat à ſua natura: hoc eſt, à leuitate in grauitatem: et ita per aquarũ deſcenſum ignis redeat, vnde ſurrexerat priùs: & non deficiat, ſed vbiq; totum vniuerſum repleat. In eo autem quis hęſitare poſſet, quónam pacto valeret ignis in centrum terræ deſcendere, cùm ſuprà diximus, eius propriam eſſe naturam, vt ſemper aſcendat, etiam

aqua deſcendens, quæ ſecum retulit i-
gnem, id minimè facere videtur. Be-
ne dictum eſt, id facere non videtur:
nam alia multa fiunt per naturam, quæ
manifeſtè, vel carneis non videmus o-
culis, ſed ex luce naturæ nobis innote-
ſcunt: ſicuti non videmus ignem a-
quam ſecum deferentem in cælum: de
quo tamen dubium non eſt: ita etiam
non videmus ignem ad centrum ite-
rum deſcendentem. Sed hæc eſt hu-
ius deſcenſus ratio vera. Omnes aquę
propter grauitatem ex ſui natura ten-
dunt per meatus in centrum vſque ter-
ræ, donec ab igne ibidem reſidente rur
ſus pellantur ad ſuperiora: ſic eò repor-
tant ignem in ventre ſuo denſatum, vn-
de priùs cum eis aſſurrexerat. Tales a-
ſcenſus atque deſcenſus noctu diúque
fiunt abſque intermiſſione: nec ceſſa-
bunt, donec omnia ceſſent, quæ tranſi-
tura ſunt. Hoc tamen hîc prætereun-
dum non eſt, ſcilicet aquarum ubterra
nearum igne pulſarum aliquando va-
pores

pores in aliquibus terræ concauitatibus recipi, quarum orificia ſtricta ſi fuerint, cum impetu coguntur in ventum erumpere: hinc fit, quòd Hermes dicat, *Portauit eum ventus*, potiùs, quàm aer: quia celeriùs defertur ignis per ventum in ſua Venere, quàm per aerem in Mercurio. Sic etiam arte noſtra Mars noſter ignem requirit maiorem, quò per ventum aſcendat: quàm noſter Mercurius, qui leui ſurgit in aerem igne motus. Quòd ſi terræ concauitates nullum habuerint exitum, vel ſaltem minùs amplum, quàm vt vapores multiplicati plurimùm exire commodè poſſint, inde ſuſcitantur quandoque terræmotus maximi, quibus caſtra, montes, & vrbes ſubuertuntur. Pariter & in magiſterio noſtro ſi maiorem ſuſcitauerimus ignem, per quem noſtri vapores magis multiplicati fuerint, quàm organorum noſtrorũ concauitates ferant, rumpunt et euertunt omnia. Aſcẽſus huiuſmodi tã

naturales, quàm artificiales, accidentaliter fiunt: alij quidē abſq; rumore, vel impetu ſubtiliter, vt ſenſus noſtros omnes lateant: & per hunc ventum ita remiſſum, intelligitur aer. Deſcenſus etiam duplici modo fiunt per naturam, ſcilicet occulto, ſicuti videmus rorem deſcendere ſine perceptione, donec in aliquod ſubiectum tetigerit: ac manifeſto, velvti per pluuiam, niuem, grandinem, & cætera. Hoc naturæ magiſterio primo generantur tria prima rerum omnium genera generaliſſima, videlicet Saturnus, ſub quo comprehenduntur omnia mineralia, propter ſubſtantiam terream in eis prædominantem, qualitate quidem, non quantitate: quia maior eſt aquæ ſubſtantia in metallis, id eſt, argenti viui: ſed terræ, vel ſulphuris ſubſtantia licet multò minor exiſtat, eſt tamen in eis potentiſſima, & eorū generationis efficaciſſima: Mercurius, ſub quo ſunt omnia vegetabilia propter eorum liquorē, quem ab vberibus Saturni ſugunt abvndantiſſimè:

& Mars, ſub quo continentur animantia, propter vitalem ignem in animalibus vigentiſſimum & evidētiſſimum. Idem & nos artificium imitamur: nam à corpore quovis per ſeparationē, aut formarum ſuarum occultationem, generamus Saturnum, Mercuriū & Martem noſtros, manifeſtatione trium aliarum formarum. Alterum verò naturæ magiſterium eſt, per quod ipſa vegetabilibus & animantibus animalia nutrit. Sumuntur quidem illa per os animalium vnà cum ſuis corporibus: quia partes animalium elementares, nutrimentorum elementaribus partibus, & ſubtiliores ſubtilioribus, ſimilia quæque ſui ſimilibus enutriri debent. Verùm ſed videamus, quam in ſtomacho natura ſeparationem facit. Nonne pura ſeparat ibidē ab impuris: craſſiora, quæ nullius momenti ſunt, per meatus abĳcit: ſubtiliora corpora, quæ virtutum ſunt cæleſtium vehicula, retinet in duplex alimentum: vnum quidem omnium corporis membrorum, alterū vitalis

vitalis ignis nutritiuum. Nunquid & nos idipſum facimus artificialiter, cùm Saturnum noſtrum impurum à ſuo Ioue remouemus per illius abiectionem, Ioue ſolo retento: Mercurium à Luna ſua cùm ſeparamus abiectum, Luna manente nobis puriſſima: necnon, quando Martem à ſuo Sole ſeruato reijcimus: ſtomachis noſtris artificialibus, & organis ad ſimilitudinem eorum, quibus natura vtitur, ordinatis. Quid adhuc in hanc artem inſaniunt invidi, mordacéſq;, dum clamitant, eius artifices eam non imitari. Fortaſſis diſſentire dicent, eò quòd natura ſua cum ſuis corporibus adminiſtret corpora: verùm iſti ſuorum corpora medicamẽtorum abijciunt. Quamvis per ea, quę ſuperiùs dicta ſunt, abvnde ſatis reſpõſum ſit, clariùs & hîc non pigebit reſpondere. Id idem, quod artifices iſti faciunt, operatur ipſa natura. Nam quod iſti ſuis in ſtomachis vitreis repurgant atque ſeparant: eos id ipſa ſuis naturalibus organis animalium,

vtpo-

vtpote ſtomachis carneis, facere docuit: ſed hoc ipſo eos arguit, qui ſua ſine repurgatione medicamenta ſolent adminiſtrare: nam per id corporibus ægris alimentum potiùs, quàm medicamentum, videntur exhibere: contra ſemetipſos agentes, qui generalem quandam methodum poſuere, ſcilicet. Omne medicamẽtum, quod tranſit in alimentum, ceſſat eſſe medicamentum. At naturales artifices contrà dicunt, Vitalis ignis temperatum, alimentum eiuſdem, & totius corporis eſſe medicamentum præ cæteris optimum. Docet hoc natura, cùm ad ſuſtentationem ſui phyſici corporis vtatur corpore ſubtiliſſimo tantùm, quò ſaltem poſſit cæleſtes retinere corporum in alimentum receptorum virtutes. Nam abſque aliquo corpuſculo non retinentur: ſed fugiunt ad fontem ſuum, vnde profluxerunt. Si natura ſagax id in ſuis nutrimentis nos doceat, quid in medicamentis, quæ nutrimentis efficaciora ſubtilioráque

debent

debent eſſe, demonſtrat: Res eſt per ſeipſam clarior, quàm vt latius explicetur. Iam ſatis amplè me probaſſe puto naturalibus authoritatibus, artem iſtam artificium imitari naturæ. Nec eſt, quòd his diutiùs immoremur, ne librum ex prologo dicamur conſcripſiſſe. Transeamus ad Practices huius ocularem demonſtrationem & manualem, quæ tribus tractatulis abſoluetur: Primus organa queuis ad artem requiſita, continebit: Secundus fornaces neceſſarias duntaxat, non ſuperfluas: Tertius abſolutiſſimũ operandi modũ, nullis intricatum ambagibus. At prius quænam & qualia ſint artis huius organa practicalia, videndum erit. Multum ſanè refert, ex qua materia cõpingi debeant, intelligere. Sunt aliqui profeſſores huius artis, qui vel ob auaritiã ex cupro, plumbo, vel terra fictili, ſibi talia fabricari iubent: ſed quantum erroris hac in re cõmittant, non ſatis intelligunt. Iſtorum hominum duplex eſt error: vnus, quòd medicamenta ſimilibus

bus pręparata vaſis, ęruginem, aut plũbaginem hominibus intra corpus valde noxiam, ſibi contrahunt: alter verò, quòd vaſa terrea, citrà quòd ſua nõ carẽt plumbagine lithargyrioſa, qua vitreata ſunt, omnem fermè liquorem imbibunt: vnde paruum diſpendium evitare putãtes, omnia perdũt. Nulla profectò materia his extruẽdis aptior eſſe poteſt, quàm vitrea: quia non imbibit, vel abſumit liquores, noxæq; nihil tribuit. Verùm in multis deſtillationibus vas ipſum frangi debet ad extrahẽdas fæces, quibus etiam opus eſt. Nihilo minùs quicquid erogatur ad vitra cõparanda, ſuam aliàs vſuram multiplicẽ reddit. Illa tamẽ, quibus liquores mundificantur, diutiſſimè ſunt nobis vſui. Si fortè ex criſtallo confici poſſint, omniũ erunt aptiſſima, perfectiſſimaq;. Nonnulli diuites ex argento ſibi vaſa fabricari iubent ad hanc artem: verùm quòd opaca ſit materia, non poteſt artifex deſtillandum inter, videre, vtrùm ignis ęquò fortior, vel remiſſior fuerit.

Nō caret etiam argentum ſua virulentia, quamvis inter cętera, prętcr aurum, ſit puriſſimum.


PRAXIS CHYMIſtici artificij Naturæ Tractatus I.

De vitreis organis,

Cap. I.

ORgana diuerſimodè pro cuiuſuis artificis arbitrio fabrefacta ſunt. Nos autem illa ponemus tantùm, quæ magis neceſſaria videbuntur. Primò cucurbitam, quam aliqui Bociam, vel Vrinale, vocant, vnà cum galea ſua roſtrata, meliori forma, qua fieri poterit, ad oculum depingemus. In his tamen conficiendis iubeat artifex, vitriarium galeę roſtrum extendere lateraliter, non deorſum, vt ſolent, inclinando: ſed parum admodum deſcendat, quantum ad excolationem aquæ

quæ ſuffecerit: cuius rei cauſam poni-
mus, Spirituū eſſe naturam, vt ad ſubli-
mia tendant, non ad inferiora: quare fa-
ciliùs lateraliter, quàm in decliue, pro-
ſiliunt. His organis A. B. deſignatis,



ea, quæ ſucco magis abvndant, ſolent
deſtillari: quia liberiùs aſcendunt, &
eorū Mercurius faciliùs, quàm Mars,
attollitur.

Ad roſtrum galeæ vas recipiens ap-

plicatur, quod lagenæ formam habet, magni, vel parui corporis, pro ſpirituũ vehementia maiori, vel minori: literaq́ꝫ C. notatur.

Eſt & alia figura deſtillatorij vaſis, quod Retorta conſueuit appellari: per hoc enim ea deſtillãtur, quæ difficiliùs aſcendunt, ſucciq́ꝫ minus habent. Luto muniri debent ad colli medietatem vſque, meliùs vt igni vehementiori reſiſtere valeant. Huius orificio recipiens poteſt applicari, vel aliud ſimile retortum vas, cuius orificium alterius roſtrum recipiat: eiúſque figura D. litera ſignatur.

Aliud recipiẽs excogitauimus, quod Veſicam rectam appellamus à ſimilitudine. Hoc inter galeæ roſtrum, vel Retortæ collum inſeri debet, vt vapores maius ſpacium habentes, citiùs etiã refrigerio congelentur in liquorem: cuius formam indicat E. litera.

Solet etiam curua fabricari veſica, quæ vaſi per deſcenſum ſtillanti ſubmittitur: F. quoque litera notatur.

De-

Deſcenſorię deſtillationis vas, quod ab vſu Deſcenſoriũ appellatur, in phialæ formam fundo carentis fingitur. Luto muniendum eſt. Terreum habet cooperculum, orificium intrinſecum, pede rupti poculi vitrei perforato leuiter obſtruitur: G. figuram indicat.

Phiala curua luto munienda eſt, ad colli ſui medium vſq; mineralibus oleis deſtillãdis, vt Retortum, vas aptiſſimum, H. litera notatum.

Sublimatorium vas, inſtar globi, collum pro media parte prominens, & pro parte reliqua depreſſum, in ſuum corpus habet: ac per I. deſignatum eſt.

Vaſorum circulationis variæ ſolent extrui formæ, quas inter illæ, quæ Pellicani figuram habent, excellentiſſimæ putantur. Talia vaſa dicuntur Anſata, vel potiùs Hermetis vaſa: ideo quòd ab ipſo Triſmegiſto fuerint excogitata: quorum figuram vobis depingimus K. notatam litera.

Sed propter huiuſmodi vaſis in formatione difficultatem è centum vitria

rijs artificibus vix vnum reperies, qui tale cõficere valeat. Inde fit, vt magno vendatur pretio, nempe quatuor, aut quinque coronatis. Huius vſus eſt in extractione quintæ eſſentiæ, perquàm vtilis & neceſſarius.

Verùm ego aliud quoddam excogitaui, factu facilius, & æquè vtile, rationibus adductis ex artificij naturę fontibus. Iſtud è converſo cõſtructum eſt minori corpore inferiùs, multóq; maiori ſuperiùs: quia ſpiritus aſcendentes, quò maius habẽt ſpaciũ, eò citiùs meliúſq; denſantur, & reducuntur in corpus. Etiam corpus inferius terræ globum repræſentat multò minorẽ ſphęrico cæli corpore. Quapropter æquũ eſt, vt ſuperius, quod loco cæli noſtri habetur, multò maius exiſtat noſtræ terræ corpore: cuius figura per M. literam deſignatur.

Poteſt etiam idem vas anſatum fieri, ſicut Hermetis Pellicanus: ſed non videmus naturam his indigere canalibus; imo ſimpliciter per aſcenſum & deſcen-

deſcenſum circulationem ſuam exercere: niſi quis ex noſtra ſententia, quā ſuperiùs allegauimus, dixerit, hæc brachia terræ meatus varios repræſentare: per quos ignis in aquæ noſtræ ventre denſatus, ad ſuum centrum reportatur. Et ſic etiam æquius erit, vt inferius corpus, terra ſcilicet, minus exiſtat ſuperiore cæli noſtri organici corpore: eius L. figuram notat.

Prætereunda non eſt ratio, cur in ſuperiore parte vaſorum huiuſmodi, collum in medio depreſſum ſit. Factū eſt, vt vapores aſcendentes per illam acuminatam depreſſionem circumcircà faciliùs ſeparentur ad latera, penes quæ calorem ignis à centro rectà latum, minùs percipiunt ob orificij terræ patentiam ſatis exiguam. Alia ratio eſt etiam, vt dicti vapores non tam facilè per os vaſis obſtructum penetrare valeāt, eorum ſeparatione hoc impediente.

Nunc de huiuſmodi vaſorū obſtructio-

ctionibus dicendum eſt. Nulla materia vitro compactior eſſe poteſt: quapropter & eo ſuademus vt obthurentur in hunc modum, qui ſequitur: Phialam rectam accipies (materacium appellant) cuius collum, quanto iuſtius poterit, circulatorij vaſis orificium intrans, obſtruat: eius figura per N. literam denotatur. Commiſſura pulſibus ex albumine oui farinaq; factis, illinatur. Quibus exiccatis per ſe, lutum optimum obducendum eſt ad vnius digiti lati ſpiſſitudinem: hoc etiam ſiccetur ex ſeipſo. Siccum cera liquefacta parumper madefiat, cādentiq; ferro ſuperducto fiet, vt cera lutum penetret, ipſum etiam conſolidet. Huic iterum aliud lutum obduci poterit, ceráque, ſicut priùs, conſolidari. Neceſſitas ob prædictorum vaſorum penuriā, ex cucurbita, per galeam cæcam obſtruact, circulatorium excogitare fuit coacta. Sed non poteſt illud vas obſtrui tā exactè, quin vaporum aliquid exhalet: hoc N. & Y. literis in proxima figura annotatum vides.

Alij,

Alij, quò meliùs ſpiritus retinere va leant abſq; reſpiratione, phialis, vel ma teracijs vtuntur. Nam illa ſunt præ cæteris vaſis omnibus, ad ſigillum Hermetis aptiſſima: cuius artificium apponere minimè pigebit: quod litera Z. in proxima figura annotauimus.

Duos muros in modum columnarum ad pedem diſtantium abinvicem eriges ſequipedalis altitudinis: ſuper quos concham teſtaceam, amplam ſatis, at non profundam, collocabis, in fundi medio foratam, vt phialæ collũ trãſiens, emineat: fundum eius ad ſpiſſitudinem digiti lati luto munies: prunas ardentes à vitri collo parum diſtãtes in principio, ne frangatur, circumpones: & tandem cùm incaluerit vitrum, prunas accenſas paulatim appro ximabis, donec rubeat: interim follibus ſuffleat alter: vt iam liquefieri cœperit vitrum, eiúſq; collum ruinam fue rit minatum, forcipibus accipiatur, & collum phialæ torquendo ſtringatur: & occludetur peroptimè.

PRAXIS CHYMISTICI artificij Naturæ Tractatus II.

De fornacibus,

PRÆFATIO.

IN omni tractatione quorumvis manualium artium requiritur, vt earum inſtrumenta priùs ei, qui cupit in illis artifex fieri, cognita ſint, antè q̄ aggrediatur. Verùm hac in arte cùm proprium & theoricum inſtrumentum imitans naturam, ignis exiſtat: nihilo minùs fornaces & organa dicuntur inſtrumenta practicalia: quæ, ſecundum Theoricam, terræ globum & cauernas, in quibus naturales operationes fiunt, repræſentant. Prima fornax ad hanc artem neceſſaria, dicitur Aſcenſoria: Secunda quidē eſt Deſcē ſoria: Tertia Reverberatoria: Quarta Circulatoria. Plures enim ab artificibus delineari ſolent, quę magis ad artis occultationem, & difficultatē faciunt, quàm

quàm ad neceſſitatem. Quatuor tantùm, quas ponemus, experti ſumus ad medicamentorum præparationem eſſe neceſſarias. Et ne per multitudinē ſtudioſorum adhuc recentium ingeniјs pariatur confuſio: quicquid præter neceſſitatem fuerit in hac arte, vitabimus. Poſtquam eruditi fuerint auditores lectoréſque, per ſe poterūt & alias fornaces excogitare, quas voluerint. Hæc ars eſt faciliima, ſi doctum, id eſt, Theoricum, & diligentem, hoc eſt, Practicum, habuerit artificem. Theoricam dat Phyſices vera cognitio, Practicam operatio manualis tribuit ſucceſſiué. Sæpiùs & ſæpiſſimè continget errare diſcipulū artis huius in ipſo principio. Nec eſt, quod propterea deſpōdeat animum: ſed errorum ſuorum occaſiones annotet ſumma cum diligētia, quò valeat eos aliàs evitare. Nulla tam facilis ars reperitur, in cuius initio rudem adhuc errare diſcipulum non contingat. Huius admonitionis ab exordio mentionem facere volui.

Nam


Nam in fabricandis fornacibus & in eligendis organis æquè, ac in igne ſtruẽdo, ſumma requiritur induſtria, quę ſit, quantum eſſe poteſt, erroris omnis expers. Quare meliorem omnium in fornacum delineationibus proportionem ſeruabimus, vt vel orbus oculis vix aberrare valeat, eas imitando.

De fornacis aſcenſoriæ ſtructura, Cap. I.

FOrnax aſcenſoria dicitur, quia liquores eius artificio cogũtur aſcẽdere: cui figura quadrata maximè conuenit propter antra, vel angulos, in quibus calor diutius aſſeruatur, quàm in circulari: cuius etiam fabrica talis eſt: Lateribus optimè coctis quadratum fundamentum pones concauũ, vt eius concauitas per ſingula quaterna latera ſit vnius pedis, cum quadrante latitudinis: ſuper hoc murum quadratum extrues ſemipedalis altitudinis, & ab vno

vno latere tantum oſtiolum apertum relinques, per quod cineres in huiuſmodi concamerationem inferiorē delabentes eximi queant: mox per tranſverſum ab vno latere ad aliud oppoſitum, ferrea craticula protendatur: ſuper hanc iterum fabricetur murus, & erigatur, ſecūdum prioris formam, ad pedis vnius altitudinem: ab vno latere, ſicut in inferiori concameratione, relinquatur oſtiolum, per quod carbones immitti queant in ignis conſtructionem: tandem fabricentur quatuor hami ferrei, quorum formam infrà videre licet, qui bini ſuſpendendi ſunt in orificio fornacis ad oppoſita latera: ſuper hos enim cupellæ terreæ, vel ænea balnea quieſcunt: poſtremò fornacis orificium quadratum ad rotundum os redigas, angulos eius luto, quod ſubigere docebimus, replendo. Per ſingulos angulos foramen rotundū facito, per quod pollex intrare poſſit. Quatuor hæc foramina quatuor epiſtomia claudant, referentq́ pro artificis

tificis arbitrio: his enim augetur ape-
riendo, claudẽdo verò minuitur ignis,
cùm fuerit opus: iſtius fornacis delinea
tio per S. literam conſignatur. Cu-



pellarum & Balneorum eſt facienda
mentio, quibus fornax iſta perficitur.
Ex terra fictili fortiſſima iube per figu-
lum vas tale fingi, quale per O. literam
denotatur. In eius fundo cineres priùs
ponendi ſunt ad ſpiſſitudinem duorũ,
aut trium digitorum: ſuper quos vas
vitreum ponatur lutatũ, vel non, quod
pro

pro ſtructura vehementis ignis,aut remiſſi,iudicandum eſt: circumcirca vas ponendi ſunt cineres ad ſummum vſque cupellæ.

Vas æneum per Q. literam notatũ, duplex habet cooperculum:vnum per literã P. deſignatur, quo cùm coopertum fuerit, balneũ Mariæ dicitur merſorium, eò quòd vas vitreum ſub aquã in ipſo mergitur. Alterum per literam R. notatur: quo cùm Q. litera ſignato vas cooperitur,Mariæ balneum vaporoſum appellatur: ideo quòd vas in eo contentum & ſuſpenſum aquam non tangit,ſed vapore ſolo caleſit. Cùm opus fuerit, extrahetur cupella cinerũ, & balneorum altervtrum imponetur. Notandum eſt etiam, quòd veſicæ rectæ debent ſuſpendi per rete, ne corpus eius voluatur deorſum: at ſuperius erectum ſit, vti pictum videri poteſt.

Lutum optimũ, quod igni reſiſtere valeat abſq; fiſſuris, cõpones ex argilla madefacta modeſtè prius,cũ equino

fimo


ſimo, qui partem eius tertiam compleat, mixta, fuſtibúſque pluimum ſubacta, donec ſufficere videas. Si fiſſuras ex igne contraxerit, ſimi plus addito. Verùm caue, ne ſimi nimium addideris: nam advſtioni foret obnoxium: pro pinguedine argillæ proportionē ſerua. Luto ſimili fornaces tuas extrues loco cæmenti, vaſaque munies: nec eſt, quod aliud quæras lutum ſapientiæ.

De fabrica fornacis deſcenſoriæ, Cap. II.

NOn alia de cauſa fornax deſcenſoria nominatur illa, cuius figuram infrà delineabimus, quàm propter ſpirituū, id eſt, vaporum, per eius operationem deſcenſum. Struitur ſuper duos muros tantùm oppoſitos, & aſcendentes ad altitudinem duorum pedum, diſtantéſque per pedem vnum: inter quos liberum & apertum vtrin-

que

que ſit ſpacium: ſuper hos muros quatuor ferra protendantur ab vno ad al-




terum, duos ab extremitatibus, et alios duos in medio, diſtātes abinvicem ad quatuor digitos latos, vt ſtratum tegularum, aut laterum ſuſtinere valeant: in ſtrati medio tamen foramine relicto, per quod manus tranſire poſſit: ſuper hoc ſtratum quatuor muri ſunt erigē-

di ſemipedalis altitudinis: cuius figura cernitur ad oculum infra poſita, litera T. notata.

De fornace reverberante, Cap. III.

CORpus ipſius fornacis reverberatoriæ in omnibus & per omnia ſtruitur, vt aſcenſoria, hoc dempto, quòd ab vno laterum fiſſura longa latáque relinquitur, per quam vaſis collum promineat. Et eius craticula ferramentis craſſioribus fieri debet, quæ luto peroptimè ſint obducta: ne mox advrantur ob ignem vehementiſſimũ, qui in illo fieri ſolet aliquãdo plùs, vel minùs pro deſtillationis exigentia. In ſuperioris concamerationis tertia parte duo alia ferramenta curua protendantur ab vno muro ad oppoſitum, lutóꝗ munita ſint, vt craticula: ſuper hęc vas ipſum etiam luto munitum ſuſpẽditur, vt à craticula diſtet per quatuor digi-

digitos latos: ad latus, in quo ſunt o-
ſtiola, vel potiùs ad oppoſitum fiſſuræ,
duæ feneſtrę ſunt relinquēdę, per quas
carbones ſuper vas immittantur. Et
poſtquam vas impoſitum fuerit, clau-
dendum eſt omnino fornacis orifici-




um, & fiſſura, vt calor ignis reverberet
ſuper vas impoſitum: hac ratione dici-
tur fornax reverberationis, quæ tibi
per literam V. deſignatur.

De circulatoria fornace,

Cap. IIII.

EST & alia fornax, quę Circulatoria nuncupatur, propter continuum aſcenſum & deſcenſum, quos facit in vaſis ſuis, ad artificij primi naturę ſimilitudinem excogitata. Hęc turrium inſtar extruitur, quarum vna, media ſcilicet, alijs eſt eminētior, & in quadratā erecta figuram, trium, aut quatuor pedum altitudinis. Baſis eius multò latior orificio ſit, vt carbones, quibus ad ſummum implenda eſt, cùm paulatim inferiùs per ignem abſumuntur, ſuperiores liberiùs labi queant abſq; impedimento. Concamerationem inferiorem habet cum craticula, per quam cineres delabuntur, ſæpiùs per oſtiolum eximendi. Super craticulam alterum oſtiolum eſt relinquendum, per quod igni pateat aer: aliàs non arderet. Superius orificium obſtrui debet, pòſt quàm carbonibus impleta fuerit. Ad mediæ

mediæ turris latera duæ aliȩ turres con
ſtruendȩ ſunt ſeſquipedalis altitudinis,
in quarum medio fundus vtrinq; pona-
tur obſtructiſſimus, tribus digitis latis
mediæ turris craticulam excedens v-
trinq;. Foramen vtriq; turri fiat in fun-
di ſui medio, quod in mediam turrim
penetret: per hoc aſcendet calor, vaſo-



rumq; fundos moderatè calefaciet: v-
triq; lateralium turrium faciendum eſt
foramen paruum ſuperiùs prope vaſa

ſubtùs,aliàs calor nullus intraret. Cauendum eſt à nimio calore,ne vaſa, vel Pellicani ſuper lateralium turrium orificia poſiti,frangantur. Si calor non ſuffecerit,orificia turriũ vno,vel altero lapide minuantur: ſi nimis vehemens, eleuentur altiùs. Turris media ſi vacua fuerit,impleatur iterum, & igne continuato materia vaſis contenta rotetur: cuius figura per X. literam tibi notatur.

*PRAXIS CHYMI*ſtici artificij Naturæ Tractatus III.

De manuali Practica,

PRAEFATIO.

PHyſicis illis,quorum ego ſuprà feci mentionem,plus nihil efficero, niſi quæ verbis antea tractaui,demonſtrauiq; : manibus iam exequar. Quapropter totis conabor viribus, ea tantùm

tùm

tùm ſubire myſteria, quæ faciunt in rē medicā, vulgoq́ʒ ſunt incognita. Nam deſtillationem quævis muliercula, vel ruſticus, rudi ſtylo ſaltem tractare cœpit: quod nobis arridet ex animo. Cuperemus enim, vt hæc ars medendi, quæ fuit omnium excellentiſſima, toti mundo foret præ cæteris, vt fuit olim, familiariſſima. Quod ad me attinet, operam dabo, nequid eorum, quæ diuino hucvſq́ʒ ſum aſſecutus auxilio, diligentem inquiſitorem ſecretorum naturæ, lateat. Artem noſtram hominibus non invidemus: imò potiùs illos ad eam addiſcendam exhortamur. Nec timemus detrimentum nobis aliquod inde futurum, quod ſolēt multi, qui hac de cauſa veritatē artium in iniuſtitia detinent. Experientiam eius in quodā vidi Medico: nomini cuius parcere decorum eſt. Is ſæuiente peſte, theriaces infuſionem in ardentem aquam infirmis potiſſimùm adhibens, & ea ſeipſum præſeruans, aliquot coronatorū millia per ſpacium vnius anni ſuperlucratus cùm fuiſſet: ceſſante cōta-

gie, & per conſequens ceſſante vnà lucro ingenti, infuſionem huiuſmodi venalem expoſuit mercatoribus atq; diuitibus ingẽti precio, nempe duas vncias coronatis decem. Prędicabat aquã hanc ex pretioſiſſimis pharmacis eſſe confectam: eámq; celabat, vt oraculũ Apollinis: & propter quæſtum, quem inde reportabat, omnibus invidebat eam, præterquàm ſibi. Poſtquam vna dierum quidam recẽs à doctoratu Medicus amicitiam cum eo contraxiſſet: rogauit, vt illi communicaret aquę ſuę compoſitionem: pollicebatur etiam nemini ſe revelaturum: at ille renuens, ait, ſe diuerſis rationibus id minimè facere poſſe: quas inter hanc allegabat, multos fuiſſe mercatores atq; nobiles, qui idipſum magnam pecuniæ ſummã præbentes, exegerant, quibus tamen denegárat: poſt quam tales reſcirent ipſum alijs revelaſſe, plurimùm illi dedignarentur: & meritò. Fortaſſis ita dixit, vt aliquam ab iſto iuuene Medico pecuniam extorqueret. Sed cùm videret

ret ſpem huius fore nullam, vt iuuenẽ abigeret honeſtè, liquoris huius vncijs duabus, vel circiter, donauit eum, dicens: Tantum vix coronatis decẽ dare conſueui. Iuuenis ille doctor, quia mihi ſummus fuit amicus, ad me venit, referens omnia, quæ ſucceſſerant. Cui ſic ego: Videam, inquam, quis & qualis iſte liquor pretioſiſſimus exiſtat. Mox atq; vitrum aperui, notiſſimus ex odore ſolo mihi fuit, qui propter colorem rufum antea me reddebat ambiguum. Vt ego tamen confirmarer meliùs, deguſtaui, hoc ipſum verè fore, q̃d odor indicârat. Ego rurſus, En propter ſolam amicitiam noſtram, & illum, qui cauſa fuit eius, excellentiùs aquam iſtã Theriacalem, quàm per ſolam infuſionem, qua hæc eſt facta, docebo te per deſtillationem & circulationem conficere: cuius efficacia decuplo vires huius excellet. Gaudenti ſtatim amico narraui, quánã via fieri deberet liquor hic excellentiſſimus. Poſtmodùm & alios multos liberaliter eũ docui, quẽ

& hîc omnes probos docebo viros, ne quempiam lateat: quia ſubticeri non debent ea, quæ prodeſſe poſſunt omnibus: at quæ nocere, perpetuæ ſunt obliuioni committenda. Hæc à me tantùm dicta ſint, vt eorum opinionem improbem, qui nemini, præterquàm ſibi ſolis, bene cupiunt. Non nobis tantùm, ſed & alijs in hoc ſeculo nati ſumus. Quapropter hoc opuſculo propoſui, quicquid occulti fuit in hac arte mihi revelatum afflatu diuino, ſi videam hominibus prodeſſe poſſe, liberaliter & breuiter in ſinum probi cuiuſq; viri deponere: hominibus ea, quę mea non ſunt, ſed eius, qui revelauit, nō invidens. Per aliquot annos cum alijs cæcutiens, bonum egi ſecretarium, cuius me pœnitet: modò præconem agam publicum, vt frugi ſim alijs pro viribus, quas habeo.

De extractione quintæ eſſentiæ, quam Cælum Philoſophorum nominamus,

Cap. I.

CÆlum eſt æthereum corpus, hoc eſt, ex aere & igne cõſtans. Ignis, eius eſt vita: Motus, anima: Corpus, aer puriſſimus, vt ignis etiam ſimpliciſſimus. Hoc enim pater eſt omnium, & Elemẽta mater. Ergo quibuſvis in corporibus inferioribus à natura compoſitis, ineſt cælum potentia: id eſt, virtutem cæleſtem omne, quod generatum eſt à natura, continet. Artifices naturam imitantes, eãq; conſiderantes altiùs, ab omni corpore cælum ſuum, quod ineſt ei, conãtur extrahere: quod etiam faciunt. Sed faciliùs experti ſunt illud à vino, quàm ab alio corpore quovis, elici poſſe: quapropter illud præ cæteris elegerunt. Non refert, ſi trahatur à vegetabilibus, mineralibus, aut animalibus: quia pòſt quàm ad cæleſtem formam redactum eſt, vires & facultates horum omnium habet.

Hæc

Hæc ars omninò conſiſtit in reiectio-ne craſſiorum & impuriorum elemen-torum, & puriorum ſimpliciorúmq; retentione: quod quidem natura nos docuit in alimentis animantium. Cæ-lum igitur Philoſophicum arte facilio ri conficias, vt audies. Faxit D. O. M. vt ad ipſius gloriam vtaris: ſin minùs, auferat à te, quod etiam non habes, & habenti diſtribuat. Vini perquàm optimi, rubentis plurimum potiùs, quàm albi, menſuras aliquot in cucur-bitam reconde vitream ſatis amplam ad medietatem eius, & optimo luto priùs in fundo munitam, galeaq; ſua ro ſtrata coopertam. Commiſſuram ga-leę cũ cucurbita, panno lineo pellibus obductam ex farina & albuminibus ouorum confectis, circumvoluẽs, ob-ſtrue. Cucurbitam in cineres cupella terrea contentos, ad corporis ſui me-dium ſepelias, & in aſcenſoriam forna-cem ſuper hamos ferreos omnia ſimul colloca: fornacis angulis inter cupel-lam & furnum luto repletis, vt interim ab

ab vno, vel altero conorum ſpiraculũ paruũ digito factum, relinquat, quod claudi reſerariq́ꝫ valeat: tandem ad roſtrum galeæ recipiens vas applicabis amplum, cuius orificium galeæ roſtrũ ventre ſuo recipiat: commiſſuram etiã hanc pannis aqua madefactis, & parũ pòſt expreſſis, involutiſq́ꝫ, ne ſpiret inde vapor aliquis, diligentiſſimè curabis. Poteris tamen, & tutiùs, inter galeæ roſtrum & lagenam, aut vas recipiẽs, veſicam inſerere, clauſis, vt ſuprà, commiſſuris: quo facto, ſub cupella ſuccendes ignem primò lentum, & poſtea paulatim auctum, donec ſufficere videris: quod percipies, vbi galeæ roſtrum inter vnam atq́ꝫ alteram guttam ſex pauſas numeret: verùm in primis deſtillationibus etiamſi tres tantùm numeraret, nõ refert. Deſtilla tandiu, donec guſtu perceperis inſipidam aſcendere ſubſtantiam: tunc amoue recipiens: & quod collegiſti, reſerua in alia lagena perquàm optimè clauſa. Caue, ne cupellam, aut cucurbitam calidam

lidã extraxeris,ne frãgantur: ſed frige-
ſiant omnia per ſe priùs, quàm extra-
hantur. Melius foret duabus fornaci-
bus ad accelerandum opus deſtillare:
ſic dum frigeſieret vna, vt deſtillare-
tur altera. Proceſſum hunc,quem au-
diiſti ſuperiùs,toties iterabis, donec i-
ſtius primi liquoris aliquot lagenas
plenas habeas. Cucurbitam frigefa-
ctam à cineribus exime: galeam eius
amoue: quod in fundo remanſit, effun
das in vas magnum, & ſerua, cui ſem-
per omne reſiduum addes. Cùm iam
bonam atque magnam ſtillati primi li-
quoris habueris quãtitatem, vinum re
cens amplius non accipies: ſed eius lo-
co, primò deſtillatis liquoribus, cucur-
bitam ad vnam ſuæ capacitatis tertiam
partem imbues, & liquores iam ſecun
dò deſtillatos omnes, vt primos, per ſe
reſeruabis: omne, quod ex ſecundis
fuerit reſiduum deſtillationibus, adde
primis reſiduis. In quavis, poſt pri-
mas, ſuccedentium deſtillationũ cùm
paulò minus media parte videris aſcẽ-
diſſe,

diſſe, guſtabis:& cùm inſipidũ repereris, ceſſa: q̊d in recipiente qualibet vice fuerit, ſerua. Toties iſtos proceſſus repetes, quovſq; liquor vltimò deſtillatus, in cochlear æneũ, vel argenteũ poſitus & accenſus, ardeat, cõſumatúrq; nullo prorſus phlegmate relicto. Tunc habebis aquam ardentem rectificatam, & ſubiectum, ex quo noſtra fit eſſentia quinta, modo, quem poſtmodum explicabimus. Omne, quod ex deſtillationibus eſt ſuperfluum, cacabo magno decoques, donec ad ſpiſſitudinem mellis redigatur: tunc ab igne remoueas, & frigefactum pones in retorta plura vaſa vitrea lutata ſupra nudum ignẽ: & in reverberatoria fornace deſtillabis, donec videris liquorem oleaginoſum aſcẽdere: quo percepto, remouebis illud recipiens, & in eius locum aliud ſubſtitues. Poſtremum hunc liquorem recipias, & ſerua. Fæces in fundo remanentes exime, ſi poteris: niſi modò vas frangendum erit. Iam à vino Mercurium, Martem & Satur-

Saturnum eius, ſeparauimus, quos Philoſophico modo nos oportebit in Iouem, Lunam & Solem cõuertere. Nigrum & immundum accipe Saturnũ in puluerem cõtuſum, & in aurifabrorum cruſibulum coopercul o clauſum, atq; lutatum & ſiccum, inter prunas ardentes pones in furnum calcinationis, laterum fragmentis vno ſuper alterum poſitis conſtructum, in horto, vel in plateis, vt ventus liberum habeat acceſſum, & prunis omnino tectum relinques ad octo, vel decem horas, deficiẽtibus recentes carbones addẽdo. Poſtquam frigefactum fuerit, extrahes: & iniectum in aquam calidã ac mundã, optimè lauabis: quo facto, proijcias in manicam Hippocratis ex alba lana factam, in modum philtri: per quam deſtillabis aquam totam: hanc ſerua. Reſiduũ, quod in philtro mãſit, extrahes: & in concha terrea ſuper ignem lentũ exiccabis, agitando ſemper, ne congeletur in maſſam, & ſiccatum calcinetur, & calcinatum lauetur: id cum ſuo bal-

balneo proijcies in manicam priùs lotam: aquam inde manantem adijce priori. Toties hoc idem repetes, donec videris, digitiſq; tetigeris, omnem ab eo ſubſtantiã exijſſe. Poſtmodùm abijce loppam illam Saturniam, & aquas deſtillatas per exiccationem, vel euaporationem, in Iouem tranſmutaueris, clarum & album. Martium liquorem in retortam ponas lutatam ſupra nudos carbones, qui ſubtus paulatim accendantur: in fornace reuerberationis & veſicę, retortæ roſtro præpoſitæ, vas addatur liquorem accipiens, ignéq; pa rumper aucto, vapores aſcendent, ac in liquorem tranſmutabuntur priori limpidiorem. At cùm videris fermè totum aſcendiſſe: remoue, quod iam deſtillatum eſt, ne fęcibus exiſtentibus in fundo retortæ, contaminetur. Limpidum hoc, quod recepiſti, rurſus per aliam retortam, vel per eandem ablutã & ſiccatam priùs, deſtillabis: in fine ſemper obſeruando, ne totum aſcẽdat, ſed in retorta ſemper aliquid remane-

at: id ex illius quantitate, quod aſcenderit, facilè percipies. Hoc tantiſper iterabis, donec oleum habeas limpidiſſimum, Solaremq́ue liquorem, ſi modò circulaueris. Aquam ardentem in cucurbita balneo vaporoſo concluſa, deſtillabis ſępiùs, in fundo cucurbitę ſemper aliquid relinquendo. Mercurium ſic puriorem habebis, quem accipe reconditum in pellicanũ, quod vas Hermetis dicitur: vel in aliquod illorum, quæ tibi depinximus: & ſigillatum optimè, ſicvti ſuprà dictum eſt, Martem etiam in aliud vas poſitum, ſuper laterales circulatoriæ fornacis turriculas collocabis, turre media carbonibus ad ſummum impleta, cooperculóque ſuo prudenter obſtructa. Mox indę ſubtùs in oſtiolo ſuccendes ignem: & cùm perceperis turrim carbonibus fermè vacuam, iterum implebis, ne diu noctúve deficiat ignis: at calor ſit continuus & ęqualis per quadraginta dies plùs, vel minùs, donec videas vapores amplius non aſcendere, ſed in fundo liquorem fixum, & cæleſtis coloris, odo-

odoriſque fragrantiſſimi. Tunc Solem & Lunam eximas, à Bacchi liquore tracta Philoſophicé. Hæc, atque Iouem, vſibus varijs ad artem Medicam reſeruato. Iam habes, optime Lector, planam explicationem ad oculum ex manuali demonſtratione factam, illius dicti Philoſophici, vel Ænigmatis, à doctiſſimo viro Philoſopho Io. Tritenhemio prolati, ſcilicet: *Unarius non eſt numerus, ſed omnis numeri fons & origo. Binarius primus numerus ab vnitate diſſectus eſt. Reÿciatur itaq; Binarius, & Ternarius ad vnitatis ſimplicitatem reducibilis erit.* Vinum enim ante ſeparationem fuit corpus vnicum: at poſt ſeparationẽ eius, in aquam, oleum & terram, ab vnario diſſectus, eſt binarius: quia quælibet iſtarum trium partium duas partes in ſe continet, vnam puram, & alteram impuram: ſicvti aqua continet Lunam puram & Mercurium impurum, Oleum Solem puriſſimum & immundum Martẽ habet, Terra Iouẽ purũ & Saturnũ impu-

rum. Reijciatur itaq; binarius cuiuſvis harum trium partium, id eſt, earum impuritas, & ternarius, hoc eſt, tres iſtæ partes puræ, Sol, Luna, Iupiter, erunt: videlicet quælibet erit per ſe reducibilis ad vnitatis ſimplicitatem: hoc eſt, horum trium quodlibet fiet vnum corpus ſimpliciſſimum, & medicina præ cæteris ſimpliciſſima. Quod iam de vino dictum eſt, de alijs etiam ſolidioribus intelligi poteſt, vt in ſequentibus audietis.

De ſtellarum noſtrarum in cælum noſtrum infixione,

Cap. II.

POſtquam cælum noſtrum Philoſophicum extraximus, æquum etiam fuerit illud aſtris ſuis adornare. De menſe Maio quaſvis herbas meliores ex tua diſcretione ſeliges: ante Solis ortum cum ſuo rore contundes, & in ardentis aquæ rectificatę bona quātitate

titate macerabis,vel digeres,per quindecim dies, vel amplius, in vaſe perquàm optimè clauſo: poſtmodùm in cineribus totum liquorem clarum deſtillabis.Hunc liquorem iterum deſtilla ſolùm ad medietatem: & iſtam iterũ deſtilla ad medietatẽ,donec guſtu perceperis aquam ſtillãtem eſſe debilem: amoue,quod deſtillatum eſt,& iterum deſtilla per vaporoſum balneum, toties,donec in cochleari poſitum,& accenſum ardeat prorſus,nullo phlegmate relicto, modo, qui ſuprà dictus eſt. Eſt enim quòd ſcias, ardentem aquam hanc omnes herbarum cæleſtes virtutes attraxiſſe: necnon illas in ſe continere. Idem & de floribus (ſuo tempore) lignis, & radicibus efficere poteris. Res profectò ſecretiſſima, & excellentiſſima præ cęteris medicamentis omnibus ad ſanitatem cõſeruandã, bibita veſperi maneq; : non ſemper, ſed interpoſitis vicibus, vtpote ſingulis ternis,vel quaternis diebus, & hyeme potiſſimùm. Poteris etiam, ſi ve-

lís, proportionem obſeruare. Melius tamen per quintam eſſentiam id perfeceris: nam illa rerum naturam omniũ ſuæ ſimilem ad ſe reſoluẽdo, trahit excellentius: ad quam ea, quæ ſuperiùs eſt poſita, per circulationem reduci poteſt, ardens aqua prægnánſq́;, ſicut audiiſti priús.

De compoſitione cuiuſdam ardentis aquæ, ſubtiliùs virtutes rerum attrahentis, & colores earum accipientis,

Cap. III.

SAcculum quibuſvis aromatibus ad libitum electis, & proportionatis, groſsóq́; modo contuſis, imple: nõ omnino, ſed lentè ſatis. Illum in galeã cucurbitæ ſic applicabis, vt in eius collo ſit ſuſpenſus. Cucurbitam ardenti aqua rectificata ſolùm ad tertiam partem imbues, & ſuper hanc, galeam cũ ſacculo ſic aptabis, ne décidat in fundum cucurbitæ. Luta iuncturas, & per

cineres

cineres deſtilla, ſicvt in pręcedenti capitulo dictum eſt. Habebis aquam ardentem excellentiſſimam, eiuſdem coloris, cuius aromata fuerint. Et hic eſt verus modus aquas è floribus quibuſvis deſtillãdi, cum florum coloris proprij retentione.

De compoſitione pretioſiſsimæ Theriacalis aquæ, vel Mithridaticæ, Cap. IIII.

POllicitus ſum aquę contra venena quævis intrinſeca, & extrinſeca, tum ad conſeruandum corpus ab illis, compoſitionem deſcribere. Quapropter & fidem illæſam vobis ſeruare cupio: necnon hac in parte conſcientiã exonerare meam, eo, quod diutius, quàm decuit, celauerim. Accipe igitur optimæ Theriacæ Venetæ libram vnam, quam in tres libras ardentis aquæ rectificatæ pones ad infuſionem, in circulatorium vas obſtructum: vel ad digerendum ſuper fornacem

circulatoriam igne lento per menſem. Quo finito, rurſus in cucurbitam effundes, & in balneo Mariæ vaporoſo deſtillabis tandiu, ac limpidus & clarus liquor exierit: vbi videris colorem in citrinum verti, ceſſabis: & frigefactis organis, à recipiente liquorem eximes excellentiſſimum: quem ſeruabis ad potum. Si reliquum velis, quod in fundo remanſit, extrahere, cucurbitam eandem, vel aliam lutatam potiùs, in cineres cum dicto reſiduo collocabis in fornacem aſcenſoriam, & igne mediocri primùm, tandem aucto, liquorem per veſicam in vas ſubmiſſum recipies: quem ad vngendum cutem exteriùs, in præſeruationem ſerua: tum ad alia, quib. Medico viſum fuerit experto, convenire. Fæces extrahe: quas etiam, ſi voles, in Iouem, & liquores in Lunam atq; Solem convertes. Poteris ad Theriacam Mithridaticum antidotum addere, partibus æqualibus: & modo, quo ſuprà, ſeruato, procedere.

De

De Cinnamomi liquore compoſito, Cap. V.

AQuarum accipe Bugloſſæ, Borraginis, Meliſſæ, & Centaureæ minoris anà libram ſemis: in quibus Cinnamomi groſſo modo contuſi libram vnam per quindecim dies macerabis, & per cineres deſtillabis lẽto primùm igne tandiu, donec liquor limpidus & clarus exeat. Cùm cœperint guttulæ quædam in modum ſeri lactis albeſcere, purum liquorem amoue, nouum admouendo recipiens, quo totũ liquorem albicantem excipies excellentiſſimum: de quo ſi dederis cochlear ſemis infirmo debili, vel ſeni, vires eius mirum in modum refocillabis. Solet hic liquor ditioribus puerperis in Germania deſtillari: quibus eſt familiariſſimus & frequentiſſimus. At cum aqua ardente rectificata deſtillatum Cinnamomum, vti ſuprà narratũ eſt, liquorem efficit admirandæ virtutis & efficaciæ, pro his, qui deliquium

animi patiuntur. Limpidi liquores abijciendi non ſunt, qui primum gradum obtinēt eorum, qui ſunt in tertio, videlicet albicantium.

De compoſitione cuiuſdam aquæ, contra Epilepſiam excellentiſsimæ,

Cap. VI.

ACcipe quinquaginta, vel ſexaginta pullos hirundinum: hos in vna libra ardentis aquæ rectificatæ macerato, cum duabus vncijs Caſtorei, necnon granorum Peonię ſequivncia, per quindecim dies, in cucurbita vitrea clauſa peroptimè cæco (quod appellatur) alembico, vel galea non roſtrata: demum adde liquoris primi de vitriolo tracti & aceti albi fortiſſimi anà libram vnam, & iterum per alios quindecim dies macera: poſtmodùm in cineribus igne lento deſtilla tandiu, ac liquor limpidus exierit: quem diligentiſſimè

tiſſimè ſeruabis, dabíſque patienti mane & ſerò, cochlear vnum, dum durauerit. Deo dante, rem videbis feliciter ſuccedere. Quòdſi fortè recuſaret patiẽs ob Caſtorei nimis ingratum odorem & guſtum, ſumere: poſt deſtillationem impone zaccari cõditi contuſiq; libram ſemis, Caphuræ grana decem, aut duodecim, plùs, vel minùs, ad gratum odorem conciliandum, et muſci grana quindecim.

De compoſitione cuiuſdam aquæ, pro doloribus oculorum optimæ,

Cap. VII.

ACcipe Piloſellæ de menſe Maio tractæ priùs quàm Sol oriatur, & herbæ rore ſuo madẽt, manipulos decẽ: Chelidoniæ manipulos tres, Fœniculi manipulos duos: cõtunde ſimul, et citò, cum ſuo rore, ſi fieri poterit: quibus adde liquoris ex vitriolo primò tra

cti vncias tres, & gummi aloes vnciam ſemis: ex his limpidum liquorem per cineres deſtilla, quo dolentes oculos manè veſperiq; lauabis. Eſt & Piloſellę ſolius aqua deſtillata ad hanc rem præſtantiſſima.

De deſtillatione per deſcenſum ex Xiloebano, vel Guaiaco, facta,

Cap. VIII.

DEſtillatio per deſcenſum excogitata fuit pro ſolidioribus corporibus, quorum vapores grauiores ſunt alijs, vt ſunt Iuniperi cum baccis eius, Fraxini, Guaiaciq; ligna, necnon alia multa, quæ ferè tantum olei, quantum aquæ, continent. Cuiuſvis horum fragmenta groſſiuſcula pones in vas deſcenſorium, quod cooperculo ſuo claudes, atq; lutabis: hoc ore deorſum inclinato per foramẽ in fornacis medio: collum eius vt promineat, collocandũ eſt: fornacem poſtmodùm cineribus

ad

ad ſummum vſq; replebis, vt ſolum vaſis cooperculum appareat: inde mox ad orificium vaſis inferiùs veſicam curuam applicabis, & iſtius collo recipiens, ambabus commiſſuris obſtructis: ignem ſuper cooperculum accẽdes trium, aut quatuor carbonum, in principio: ſucceſſiuè demum augebis, donec videris aquam deſcẽdere. Cùm aliquãdiu deſtillârit, vas parumper deteges, circum eius cooperculum cineres amouendo. Rurſus aliquot carbones addes, & videbis oleum aquæ permixtum deſcendere. Ignem iſtum continuabis, quovſq; videas deſtillationẽ ceſſare velle: tunc paulatim vas deteges amplius, vt plus caloris accipiat: id enim continuetur in finem vſq;: ſic oleum & aquam ſimul mixta collegeris, quæ ſeparabis abinvicem per balneum Mariæ vaporoſum, aut merſorium: vt voles. Frigefacto vaſe, carbones exiſtẽtes in eo, ſunt eximendi, necnon in alio vaſe terreo penitùs in cineres comburendi. Iam habes ex prædi-

ctis

ctis Mercurium, Martem & Saturnū: quos poteris in Lunam, Solem & Iouem convertere.

De tranſverſa deſtillatione per fornacem reverberatoriam,

Cap. IX.

POſtquam de vegetabilibus dictum eſt, de mineralibus agamus: quæ propter vaporum ſuorum grauedinem aſcendere non poſſunt, & propter corporum ſuorum liquefactionem vnà cum vaporibus in receptaculum tranſirent huiuſmodi corpora, ſi per deſcenſum deſtillarentur. Quapropter neceſſarium fuit tranſverſum vaſorum ſitum excogitare, quò graues huiuſmodi vapores faciliùs attollerentur: cuius Practicam in chalcantho, quod vitriolum alias vocant, experiamur. Huius Romani, vel Hungarici crudi, quantum pars retortę luto mu-

nitæ

nitæ media capere poſſit, in fornacem reverberatoriam pones, vt collum vaſis extra fornacem ad latus promineat, in decliue parum pendens. Huic lagenam applicabis , & igne lẽto primùm liquorem omnem recipies. Ignem hũc augeas in fine, donec aliquos videris exire vapores albos, qui vas recipiens ſubobſcurum faciant. Quo percepto, ceſſandum eſt ab hac priore deſtillatione. Quod liquoris habueris, hoc ſeruа. Poterit etiam hæc diſtillatio fieri cucurbita erecta: ſed erit frangenda, vt eximi queat id, quod adhęrebit eius fundo. Frigefacta fornace, vas tuum extrahes: quo etiam fracto, quod maſſæ duræ continet, contundes in puluerem: is ſi non omnino rubuerit, in terream ollam inijce, rudéque ferrea mouebis ſuper prunas ardentes, aſſabiſq́;, donec puluis ille rubeſcat in modũ cõtuſorũ laterũ. Hunc puluerẽ iterũ in retortã priori ſimilẽ, lutóq́; bene munitã, indes: & eodẽ ſitu poſitam, igne lento primùm excitabis, donec iterum albos illos

illos vapores, de quibus ſuprà dictum eſt, videas: tum, ſi quid in recipiente liquoris extiterit, addito priori. Mox iterum adhibeto veſicam, & huic vas recipiens in aqua frigida poſitum. Commiſſuras optimo luto munitas curabis, ne quid vaporis exhalet. Ignem paulatim ſemper augeas, vt illos vapores in recipiente continues: quos vbi deficere perceperis, vas ipſum carbonibus per feneſtrellas obtegas, ignē iſtū continuando, quovſq; recipiēs omnino clareſcat: id indicium erit, amplius nil ſupereſſe liquoris. Per ſe frigefactis organis, vnum amouebis ab altero. Quod in recipiente fuerit olei, diligentiſſimè ſeruetur in ampulla veſicis porcinis aqua priùs maceratis obthurata: nam caloris vehementia huius olei ceram liquefacit, ac omne, quicquid reſinæ, vel alterius talis adhibetur. Retortam ipſam frangito, puluerem q; fuſcum lotionibus, vti ſuprà de vini Saturno diximus, perbellè curato. Mercurium in Lunam, & Martem in Solē, conver-

convertito. Rem ipſam in minerali-bus, vt in vegetabilibus, perfeceris.

De ſeparationis aquæ deſtil-latione,

Cap. X.

QVia ſeparationis aqua ſæpe neceſſaria eſt in præparationib. mineralium & metallorũ ad Medicinã applicatorũ, huius etiã faciemus non immeritò mentionem. Tria ſunt potiſſimùm, quæ huius aquæ compoſitionẽ rei medicę neceſſariam intrant: vtpote Sal-nitrum, alumen & atramentum ſutorium, ſub varia proportione ſecundum artificis intentionem. Quod ad me attinet, horum æquales accipio partes: at vitriolum & alumen priùs in ſartagine terrea frigere ſolitus ſum, donec viſum eſt ea ſuperfluo ſuo phlegmate priuata fore: tandem piſta ſimul in retortam vitream luto munitam recondo, ſic vt duæ vaſis partes vacuæ ſint.

Et in fornacem reverberatoriã vas poſitum, igne lento primùm calefacio, donec aliquot guttulæ décidant, quas ſuper cultri laminam recipio: ſi videã cultrũ inde colorem nigrum contraxiſſe, lagenam addo maximam, et commiſſura lutata continuo lentum ignem, donec videã guttulas ſex numerare pauſas, & recipiens non admodum caluerit: quod ſi tantum incaleſcat, vt manum admouere nudam ſine lęſione minimè poſſim, ignem extrahendo minuo. Gradum ignis hunc proſequor, quouſqꝫ recipiens vas rubeat in modũ ſanguinis, et ꝓ vaſis caloreignẽ augeo, vel minuo, donec recipiens clareſcat: hoc percepto, ceſſo, frigeſieriqꝫ permitto. Quicquid in recipiente fuerit, in vſum, qui ſequitur, ad Medicinam ſeruo clauſum in ampulla vitrea fortiſſima, veſica porcina, ſicut antea diximus, obſtructa. Qui verò pro aurifabris hãc parare ſolent, duas tantùm partes accipiunt, alumẽ ſcilicet & Sal-nitrũ. Qui libet ſibi proportionem fingit ab experien-

rientia. Fiunt & aliæ ſeparationum aquæ plurimæ: ſed quia non faciunt ad Medicinam, relinquemus. De deſtillationibus per decadem, aut compleꝰtam vnitatē hucvſq; diximus, vt ad omnes in artem facientes Medicam, ſufficiant. Eodem modo, quo dictū eſt, fieri poſſunt omnes. Induſtria maior, aut minor eſt operanti relinquenda. Nunc de calcinationib. & ſublimationib. mineraliū etiā aliqua dicēda ſunt.

De excellentiſsima quadam calcinatione Mercurij viui cum auro,

Cap. XI.

MErcurijviui repurgati, ſicut infrà docebit̃, partes ſex in cruſibulo aurifabrorū inter prunas ardentes ponito: cùm fumum albū aſcendere, vel Mercurium bullire videris, aurū ſubtiliter laminatum, vel in folia redactum, inijcias, bacillóq; moueas optimè, donec Mercurius totum aurū in ſui ſimilitudinem converterit: tum ita calidū in ſcutellam aqua recenti frigidáque

plenam infundes. Caue quidem ab odore Mercurij: quoniam in ſpiritum reſolutus, eſt noxius: in corpore verò, non ita. Hactenus artificium iſtud eſt aurifabris notiſſimum, qui argentum auro ſolent obducere. Hoc amalgamatum, quod vocant, in aquam ſeparationis inijce retorta luto munita contentam, pro quantitate ſufficiēti ad diſſoluendum, quod tuæ diſcretioni relinquitur: melius enim fuerit plus, quàm aquæ minus accipere. Vas huiuſmodi retortum in fornacem reverberatoriā collocabis: cuius orificio lagenam ad commiſſurā optimè lutatā applicato: mox ignem lentū ſubdes, & paulatim auctum, donec aqua tota ſurſum ac deorſum in recipiens deſtillauerit: quo facto, rurſus augendus eſt ignis, vt aſcēdat Mercurius totus ad latera, ſurſumq; ſublimatus in præcipitatum præſtantiſſimum. Auri puluis rubicundus & obſcurus, in fundo remanet. Frigefacta fornace, tuam ſeparationis aquam eximas: eſt enim illis vſui maximo, qui cu-

cuprum & æs obducunt auro. Retortam exemptam ſumma cum induſtria frangas oportet, eã non agitando multùm, ſed circumcircà percutiendo modeſtè cultro, donec fundus excidat, nulláq; terra miſceatur auro: quod extrahendum eſt, & in cruſibulum aurifabrorum nouum & mundum, ac inter prunas ardẽtes collocatũ, bacillo diutiſſimè commouendum: vt, ſi vapor aliquis ex Mercurio, vel aqua ſeparationis, cum eo remãſiſſet, igne tranſeat in auras. Puluerem aureum huiuſmodi lauare poteris ſæpiùs aqua Centaureæ minoris, & iterum per evaporationem exiccare. Capſula mundiſſima reconditum, vt medicamentum pretioſiſſimum, ſeruabis eum: quo quidem expertiſſimi viri medici non infeliciter vſi fuerunt cum aliĳs medicamentis, ad grana tria, vel quatuor. Mercurium ab auro ſublimatum in eodem cruſibulo, in quo fuit aurum inter prunas ardentes, & modicas, bacillo ſemper agitabis, donec in rubicundiſſimum colorẽ

immutetur. Caue, naribus, vel ore ne hauſeris odorem eius. Aqua prædicta, qua lotum fuit aurum, lauetur & ipſe, necnon per evaporationem ſiccetur. Huius vſus in Chirurgia varius eſt: in corrodendis putridis carnibus vulnerum, tam recentium, quàm antiquorũ. Adminiſtratur etiam per os morbilloſis. At ego ſuaderem, vt cum aureo puluere miſceretur æqualib. partibus. Miſceri ſolet plurimis alijs medicamẽtis, ideo quòd vires habeat ea temperandi, quibus admixtus fuerit. Solet etiã ferrũ calcinari per ſeparationis aquã: necnõ ad febres poſt multas lotiones, & calcinationes feliciter adminiſtrari.

De ſublimatione Mercurij viui, & eiuſdem repurgatione prius facienda, *Cap. XII.*

MErcurium viuum cum ſale communi fortiter in pila marmorea teres tandiu, donec ſal prorſus nigrum evadat,

evadat, ac ſub eo Mercurius occultetur. Mixtũ hoc in retortã lutatã ponas, & in fornacẽ reverberatoriã. Inde mox ſuccendes ignem lentũ, & orificiũ retortæ mergatur in ſcutellam aqua frigida plenã, & profundè ſatis. Et vbi Mercurius ignẽ ſenſerit, ita viuus in aquã deſcẽdet, relictis in ſale ſordibus. Hoc ſecundò, vel tertiò repetere poteris, nouo ſale ſemper addito, quovſq; tibi mũdiſſimus videbitur. Mundum hunc Mercuriũ cum vitriolo teres, vti priùs cũ ſale feceras, donec ſub vitriolo penitus etiã abſcõdatur. Secundũ hoc mixtum in materacium luto munitum pones, & in cupella cinerum igne lento primùm vrgebis per duas horas, orificio materacij bombycina lana priùs obſtructo mediocriter, vt humiditas vitrioli poſſit exhalare: tandẽ aucto paulatim igne per duas alias horas, perficies. In collo, vel gurgite materacij, reperies ſublimatum, album & ſplendentem Mercurium, qui Chirurgis eſt vſui non exiguo.

De ſublimatione, reductionéq; ſulphuris in ſuos flores,

Cap. XIII.

CItrini ſulphuris optimè triti, quãtum voles, in cucurbitam lutatam, galea ſua roſtrata coopertam, & in cupellam terream arena, vel cineribus plenam, ac in furnum aſcenſorium pones. Commiſſura curata, roſtro galeæ lagenam applicabis. Ignem ſuccẽde graduatum, & invenies in galea flores aureos ex ſulphure, lagena pauco phlegmate madefacta.

De compoſitione perfectiſsimæ Cinnabaris, ad Medicinam,

Cap. XIIII.

FLorum ſulphuris partem vnam accipe, necnon Mercurij crudi repurgatiſſimiq;, ſicut ſuprà, partes duas. Sulphur

phur in teſta terrea liquefiat igne lento. Demum infundatur Mercurius per minutiſſimum ſetaceum, vel per ſacculum ex panno piloſo conſutum. Interim dum infundit vnus, alter ſpatula moueat agitetq́; lignea citiſſimè, donec bene miſceantur, ſulphurq́; nigerrimum evadat. Quo facto, mox deponatur ab igne, moueaturq́; ſemper, donec frigeſcat ſulphur, & in maſſam nigram redeat: quam in puluerem contundes minutiſſimum. Is in materaciũ poſitus, & in cineres eodem furno pariter & igne ſimili, quibus Mercurium ſublimaſti prius, curetur per tres horas. Deinceps fiat maior ignis, quàm in ſublimatione Mercurij, per alias tres horas: hoc non omiſſo, quòd orificium materacij leuiter obſtructum ſit lana bombycina, vel alia. Hac ratione poterunt Arſenicum, Auripigmentum, Sal-Armoniacum, & alia multa, ſublimari ſumma cum facilitate.

De metallorum calcinationibus & deſtillationibus, in genere,

Cap. XV.

QVia metalla facilè nõ poſſunt in liquores ſuos reſolui, niſi priùs calcinentur, opus erit eorum potiſſimam calcinationẽ cognoſcere. Multi ſolent illa per additionẽ auripigmenti, vel alterius venenoſi ſulphuris in calcem redigere: ſed hæc ad Medicinam prorſus eſt inepta calcinatio: magiſq; venenoſa, quàm vtilis. Debent enim vt rei medicæ proficua ſint metalla, calcinari, vel per proprium ſulphur intrinſecus advrens illa: quæ prolixa eſt admodũm & difficilis calcinatio: vel per additionem alicuius rei, quæ noxam nullam in ſe contineat: poſſitq; penitùs in poſterum ab eis, cùm opus fuerit, amoueri, ſic, vt de ſuo nihil metallis tribuat, nec eorum naturam immutet, Tale quidem eſt ſal: at non omne, ſed

ſed ſolùm illud, quod eſt naturale ſine magiſterio, per quod ſal fieri conſueuit, congelatum in fruſta lucida lapidibus & cauernis adhærentia: lapidoſum ideo dicitur ſal & petroſum. Hoc accipe, quo poteris quodque minutiſſimè laminatum metallum, ſtrato ſuper ſtratum, vt moris eſt, in cruſibulum poſito, prunas inter ardentes calcinare per duodecim horas. Cùm iam tempus præterierit, prunas excita fortiùs, vt ardeant, ſalq́; ſicvti metallum, aut cera, liquefactum fuerit: tunc effunde ſimul in terram: vbi refrixerit, illud in mortario minutiſſimè teres, & in aquam feruentē inijcias, & aliquandiu poſtmodùm feruere ſinas, vt ſal melius reſolui queat: deinceps ab igne depoſitum in terream concham, vel æneam, nō profundam, ſed latam, effundes: & vbi reſederit, effunde rurſus in ollam per modeſtam inclinationem, vt non turbetur aqua: quam ſerua, donec dixerimus. Metallum quod in fundo conchæ remanſit, iterum, vt priùs, alio recen-

recente ſale calcinabis, & per omnia facies, vt audijſti. Poſtquam in calcem redactum fuerit, quæ reduci non poſſit amplius in metallum, huic in materacium poſitæ calci ſuperinfundes acetum album & fortiſſimum, vt ſupernatet quatuor digitis. Obſtructum vas in fimum ſepelies equinum bene calidũ per quadraginta dies, & calx in liquorem ſoluetur. Si nondum eo temporis ſpacio reſoluta fuerit, relinquatur diutiùs, donec habeas, quod optabis. Liquorem hunc ab aceto ſeparare poteris per balneum merſorium. Quod per calorem iſtum aſcendere non poterit, eſt metallicũ. Ponatur in retortam lutatam ad nudũ ignem in fornacẽ reverberatoriã, & aſcẽdet aqua primò. Igne tandẽ aucto, habebis oleũ, & in fundo manebit Saturnus. Aquã ſalis ad ignẽ poſitã in cacabo, facias bullire, donec evaporet aqua: manebit in fundo ſal: quod tritum iterum, calcinari poterit abſque liquatione: ſic acuetur ad aliũ vſum.

De

De præparatione Stibij, quod vulgus Antimonium vocat,

Caput XVI.

HVius Hungarici, vel aliàs optimi Germanici, libras aliquot accipe, quas in mortario ſubtiliſſimum in puluerem tere. Hunc in olla terrea per tranſverſum ſupra carbones accenſos collocata, rude ferrea tantiſper agitabis, donec propter fuſionem in glebas fuerit converſus. Tum rurſus in puluerem terendus eſt, vt priùs: & iterum aſſandus, quovſq; glebas contrahat. Hic proceſſus toties erit iterandus, donec puluis ille ſplendorem ſuum penitùs amittat, ac in cinereum cœruleúmque colorem cōvertatur. Aliqui tamen illum tandiu torrent aſſantq;, donec in albedinem ſit redactus. Calcis huius partes accipe ſex, & Chryſocollæ partem vnam, necnon Stibij crudi tantū, quantum Chryſocollæ: quæ ſimul trita, calci miſceantur peroptimè. Puluerem hūc

in

in aurifabri cruſibulum nouum pones, inter prunas vehementer ardentes, & in furno venti, vel ad ventum expoſito: ſin minùs, agitato follibus. Quum liquefactum fuerit in fuſi metalli formam, ſtylum ferreum intinges, & quod adhæſerit materiæ, poſtquam refrixerit, ad lapidem allides. Si quod à ſtylo deſilijt, lucidum admodum atque tranſparens extiterit, rubei, vel rufi coloris, eijcias in marmoreum lapidem planum ab alto, paulatim excolando. Medicamentum habebis, vt excellentiſſimum, ita etiā periculoſiſſimum, ſi dederis in idiotæ manus, doſi priùs non cognita: non ſecus feceris, ac ſi furentis in manum gladium ponas. Verùm ſi quis Artis medicæ peritus, vtatur eo pro perſonarum & infirmitatum reſpectibus: nihil vtilius, maximè venenis pellendis, experietur. Præparationis huius artificiū in principio difficilimum eſt, vt aliquos feſellerit plus quinquageſies, priùs quàm ex voto ſucceſſerit.

Totius operis concluſio.

PHyſica de lucis naturæ fontibus initium trahens, aliquid etiam in lucem adfert, quod oculis videri, manibúſque tractari queat, præter ea quæ vulgo manifeſta ſunt. Et quod magis eſt, naturæ veſtigia ſequitur tam exactè, vt digitum latum non aberret ab eius documento. Inde ſibi veræ Phyſices nomen aſſumpſit ars Deſtillatoria, vel potiùs Latentium formarum inveſtigatoria: quod in antiphyſicam tranſmutaret, ſi ductricem naturam non imitaretur magis, quàm illa nihil agens Phyſica horum, quæ dicta natura docuit. Noſtræ Phyſices finis eſt Medicina vera: imò potiùs eius filia, quam ex proprio ſuo peperit vtero, ſcilicet Experientia: non illa, quam nunc explicabimus, ſed alia quidem hac longè præſtantiore. Notum eſt omnibus, Apollinem poſt noſtræ Phyſices obliuionem, primũ fuiſſe, qui Medicinam Empiricã ob noſtræ defectũ,

vel

vel ignorãtiam potiùs, exercuit: quam etiam primus adinvenit. Is propter aliquot experimenta, quæ ſucceſſerant illi coram populo, fuit in Gentilitiorum deorum numerum aſſcriptus: cui templum etiam dicatum extitit. Huic in eadem arte ſucceſſit Æſculapius, Apollinis (vt fertur) filius: quem hac ipſa ratione Gentiles etiam inter ſuos deos, vt patrem, aſſumpſerunt, temploq; donârunt. Poſt horum mortem nulla fuit adhuc Medicina ſcripta: ſed ab Æſculapij templo cœpit, edicto regio ſic iubente: Si quis aliquid in ſe, vel in alium expertus in Arte medica fuiſſet, hoc ipſum in tabella deſcriptum, templi parietibus affigeret: quibus deſcribendis experimentis præfectus fuit Hippocrates. Hic omnium primus vulgaria muliercularum, ruſticorum & aliorũ experimenta redegit in ordinem: ex quibus poſtmodùm Aphoriſmos, & methodicam deſcripſit Medicinam: quæ quidem in hunc vſq; diem per vicos obambulat. Methodici tandem iſti Medici ſuos

ſuos progenitores , Empiricos nempe,ſuis in fratribus degeneratione quadam ſic aſpernantur, vt illos in mortẽ vſq; non vererentur (ſi liberum foret) perſequi. Videte, quæſo, Lectores optimi,ſi iuſtum ſit, Apollinẽ & Æſculapium excludere : Hippocratem autem & ſui ſequaces ad Medicinam in eorum locum ſubſtituere : vulgares anus & ruſticos,à quibus iſte didicit,doctis præclariſq; viris,obſcuros pluris facere : Empiricam deniq; Medicinam, vt veneficã,detractant, cùm tamen Apollo & Æſculapius eam ſectati ſint: imò vulgus, ruſtici, muli erculæq;, de quorum labore methodica Medicina ſurrepta eſt, Empirici fuere : niſi fortaſſis de caponum genere ſe dicant,patre matréq;,necnon fratribus,ſuáq; progenie tota nobiliores illi, qui tam acriter in Empiricam invehũt. Famulos ſuos, quorum opera ſufflandis carbonibus artem imitando Chymicam,vſi fuerũt, delicatas manus maculare nolentes, Empiricos inepté vocant, quos ipſi-

K met

met fecerunt circumlatores. Demum fingunt Hippocratem rationalis Medicinæ primum fuiſſe Principem: tanquam Apollo & Æſculapius abſq; ratione ſuis experimentis ſolis innixi fuiſſent. Quo quidem abſurdius nihil dici poteſt, quàm experimentum primùm aggredi poſſe quempiam, niſi motus aliqua ratione, ſiue bona, ſiue mala, priùs non opinetur experimentum hoc illi ſucceſſurum: aliàs non tentaret. Nec eſt, quòd adferant iſtorum aduerſarij, nullam certitudinem in experimento primo fore. Sic etiam in methodo prima nullam habuit, qui ſtabiliuit eam, niſi priùs expertus ſit, quod ex ea docere conatus eſt. Quapropter Empirica prima ſua ratione carere non poteſt: nec ſua, Methodica. Rationalis quidem per ſe poteſt exiſtere, ſi nihil operetur: at iſtæ non bene perſiſtunt abſq; ratione. Delirant etiam in eo, quòd Aphoriſmos, & alia, quæ docet Hippocrates, ſub rationali Medicina ſtatuunt, dum di-

dicunt, ipſum fuiſſe rationalis Medicinę Principem. Nam illa, quæ tractat, docendi viam cōtinēt per methodos: vt dicti ſunt Aphoriſmi, qui nihil aliud habent, quàm generales docendi canones, & compendia quædam. Quapropter non eſt, quòd alios ſe fore Medicos recentes iactent, quàm Methodicos ab Empiricis deriuatos. Quòd ſibi ſolis medendi rationem adſcribant, & alios ea priuare conentur, valde præſumptuoſum eſt. Cùm adhuc ignorent, quid ſit ratio verè naturalis: quantò magis, quid rationalis Medicina? Hanc ſuam rationem eſſe dicunt, quòd morbo calido frigidum adhibent medicamentum, & econtrà: tum humido ſiccum, & iſtud illi: verùm ſubticent, quòd, cùm de medicaminum ſuorū gradibus non vſq; adeò certi ſint, niſi per aliquod guſtu, vel olfactu frigidum ſatis indiciū factū, id cōiectent: de morborum gradibus nihil prorſus in humorum quatuor à ſe poſitorū qualitatibus iudicare valent. Suæ

rationis igitur vix mediam partem tenent. Quid adhuc ſe Rationales ſolos extollunt: alios verò brutales exiſtimant, cùm tamen rationis ordinē proportionemq́ nullā in morbis habeant? Nunc quid ratio naturalis exiſtat, audiant: &, ſi potiores habent rationes, adferant in mediū. Ratio naturalis propriè dicitur, diuinæ mentis in rebus naturalibus ordo. Cùm igitur talis ordo conſiſtat in tota ſolaq́ natura, non extra eam ad rationis Phyſicæ cognitionem integrā eſt neceſſaria naturæ plena cognitio. Sed recentes qui ſunt Medici, naturam vix ſuperficialiter, hoc eſt, ex ſolo manifeſto, nôrunt: profundam illam, & corporalem naturæ dimenſionem, quæ latet in occulto, prætereunt: cùm tamen illa ſola ſit, quę Medicum rationalem efficiat. Erūt igitur propter huius notitiam, quam habent Chymiſtici medici, multò magis Rationales, quàm ſint eorum adverſarij. Illos tamen & iſti non ceſſant etiam ad mortem vſq; perſequi: quam quòd illis inferre

inferre liberè non poſſint, ſuis vniuerſitatibus & collegijs excludunt eos, eijciunt ac prorſus eneruant. Quid mirũ? Principũ priuilegijs peroptimè ſe tuentur, rationibus verò nullis: & tamen ſolos Rationales eſſe ſe Medicos verbis animoſè contendunt. At ſi coram aliquo Principe cogerentur argumentis naturalibus experimẽto probatis conflictari, mox audiretur: Cum Empiricis & Chymiſtis non contendimus: Doctoratus noſtri gradus hoc habet priuilegij, vt cum illis, qui laureati non ſunt, minimè cogamur diſputare: quod ſi etiam temerè faceremus, vltrà quòd noſtras effringeremus conſuetudines, & iuramentum, quod Vniuerſitati præſtitimus, plurimùm diminueremus authoritati noſtræ. Hęc & alia multa ſunt eorum ſubterfugia. Quid cũ iſtis agendum erit vobis, ô Chymiſtæ, necnon vos Empirici? Scio vobis remedium ex communi prouerbio: *Tu quoque fac ſimile, ſic ars deluditur arte.* Principum & vos priuilegia ſi habueritis, quib. A-

cademias inſtituere Chymiſticas & Empiricas, vobis liberum ſit graduatos etiam in arte veſtra creare doctores: non relinquetur illis ſubterfugiū, quin vos cogantur ad qualſcunq; diſputationes admittere: niſi fortaſſis adferant, Gradus veſtros eſſe metallicos & alienos à ſuis, qui lignei ſunt ex vegetabili ſubſtantia: fortaſſis ex xiloebano conſtructi, minùs duri, quàm vt poſſint metallis reſiſtere. Sed iocoſa modò relinquamus, rem ſeriò potiùs aggrediamur. Medici recentiores antiquioribus Medicis Chymiſticis detractant: interim in deſperatis morbis, quib. ex ſuo ſtudio remediū adferre nullo modo poſſunt, ad Chymiſtica medicamēta cōfugere, tāquā ad ſacrā anchoram, non verentur. Teſtatur ipſe Matthiolus in Dioſcoridē, Antimonij pręparationē docēs, & (quod magis eſt) huius medicamenti nō modò reſtitutionem, ſed etiā inventionē atq; primā tētationē, Theophraſto Paracelſo deberi ſoli fatetur ingenuè: quem adhuc, vt vene-

num

num, deteſtantur hominem, nõ alia de cauſa, quàm quòd eorum ab Apolline vſque ad extremum facilè ſuperârit omnium ingenia: tum, quia vetuſtiſſimã illam è naturę fontibus erutam docet Medicinam ipſis incognitam. Noua dicunt virum hũc in medium adferre dogmata: quia tantùm illis ob ignorantiam noua fore videntur. Si noua ſunt: quare igitur tam auidè cupiũt intelligere? cur libros eius, quotquot inveniri poſſunt, emunt? Quòd ſi non intelligunt artis vocabula Chymiſtis familiariſſima, quare non ſuo, & non alieno labore fiunt Chymiſtæ? Præmanſum in os abſque labore poni ſibi cupiunt. Num ita pervenitur ad aſtra? Si noxia ſunt ex metallis tracta medicamenta, quod falſò fictum eſt: cur erogata pecunia, quotquot ſunt ferè Medici recentiores, Chymiſtas locant, à quibus addiſcant ea, quæ noxia fore dicunt? Cur etiam præparatum antimonium hominibus adminiſtrant, cùm dicant,

venenum eſſe præſentiſſimum, hoc i-pſo ſeipſos homicidas libenter fore velle confitentes? Quî poteſt venenũ ignis ferre martyria, quæ ſuſtinere cogitur antimoniũ in ſui præparatione? Adferant ipſi venenum in tota rerum natura, quod igne leui non evaneſcat in auras. Quid aliud effingẽt, niſi quòd naturam & vires igneas induerit corroſiuas? eo ſuam inanem Philoſophiã atq; Phyſicam prodentes. Nam oportet omne medicamentum, quod corruptiones abſumere debet, igneæ fore ſubſtantię. Nihil enim conſumit, quod ignis in eo contenti facultatibus id nõ faciat. Dicent ad hoc, naturalem calorem etiam abſumere. Contrarium apparet, naturáque docetur, ex eo, quòd ſemper ſibi ſimilem naturam appetit, ſcilicet ignis ignem, & aer aerem: & ſic de cæteris. Et ignis ille, qui de mineralibus, vel alijs corporibus, artificialis ignis elicitur beneficio, ſimilis factus eſt æthereo, qui corpus humanum fouet, igni, viuificatq;. Sequitur igitur ex

eo,

eo, quòd ignē augebit vitalem, de quo ſuprà dictum eſt. Ætherei quidem ignis eſt officium, omnes corruptiones per elementarem ignem cauſatas, generationis beneficio conſumere: tum, quod iſtius edacitate conſumitur ex humido radicali, illius fœcunditate per alimentum, aut medicamentum reſtaurare. Adferant, quicquid velint: authoritatibus naturæ cedere cogentur. Hactenus tamen de minima præparatione dictum eſt ex antimonio facta: quid iam contra tincturam eius & quintam eſſentiam dicent, cuius beneficio multi curantur Medicorum recētium incurabiles morbi? Quid habent contra quintam eſſentiam & tincturas auri, pretioſorum lapidum, & vnionū, ac aliorum, quod calumnientur? quibus omnes morbi, quos deſperatos appellant, nedum curantur: ſed etiam, quod ab aliquibus inſcijs Medicis deſtructū eſt in eorum curis, reparatur? Breuiter, quid reſpondebunt nobis affirmantibus, & ex luce naturæ demō-

ſtrantibus, vnicum arte noſtra Metaphyſica fieri poſſe medicamentum, quo ſolo quibuſvis & cuiuſvis ſpeciei morbis remedium indifferenter adhibetur certiſſimum? Non eſt dubium, quin, vt cætera, negaturi ſint: ideo quòd in ſcholis talia non docentur. Sed noſtræ Phyſices limites exceſſimus: ad eam nunc redeamus, quæ tam miſerè deprauata eſt, & ex recta ſemita in fraudulẽtum labirynthum lapſa. Videmus Phyſicos recentes in cognoſcendis vegetabilium nominibus, graduumq; ſuorum qualitatibus, ætatem ſuam terere: tandemq; nihil aliud inde reportare, præter ſuperficialem iſtorum notitiam, ex vulgaris communiſq; notionis iudicio depromptã potiùs, quàm de naturæ documentis apertiſſimis. Et ſi quilibet ætates tres in eo conſumere poſſet, vix adhuc centeſimam herbarum (vt alia dimittam) partem ſuis nominibus vnico ſermone (quas diuerſis tamen idiomatibus intitulârunt) valeret appellare. Quid aliud

liud hoc eſt, quàm ſtudioſè ſcipſum in hunc labirynthum inijcere, præter omnem neceſſitatem: cùm in ſeptem duntaxat metallis, & tantūdē plùs vel minùs medijs mineralibus, in vigintiquinque vegetabilibus, & aliquot paucis animantibus, tota Phyſica depromi poſſit: ex profundo, non ſuperficialiter, quæ ad integram Artem medicam eſt neceſſaria? Dicámne, quod magis admirari faciat? in vnico totam cōſiſtere Medicinam. Velint nolint, hoc vera metaphyſica poteſt Hermetis Triſmegiſti, quæ veram & antiquiſſimam antiquorum patrum noſtrorum docet Medicinam conficere. In hac æquum foret Medicos recentiores breue tempus aliquod, relicto ſuo labiryntho, collocare. Non multis voluminibus eſt involuta: ſed ſola tabella, quæ vix pagellam impleat, abſolutiſſima continetur, & veraciſſima præ cæteris omnibus ſcientia. Quam, ſi cognouerim hoſce labores noſtros Medicis acceptos fuiſſe: quandoq; de luce naturæ, nudam iu lucem translatā à me,

à me, ſine velamine videre licebit: ſin minùs arriſerint, videant ac experiantur ipſimet, quid ex ea præſtare fructus valeant. Interim non ſinam illis prodeſſe, quod poſſim: & omnibus, quibus obſtruſa magis, quàm vulgaria, placent. Bene ſit his, quotquot veritatem diligunt, atque fatentur: illis enim ſolis veritatem invenire datum eſt.

Grandia ſunt hominum, ſubito labentia motu:
Irruta virtutis, mœnia ſacra manent.